

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Sebastian Christoph Schwabe


**Commentatio Philosophico Practica Exhibens Amartigeneian Sive Fontes
Peccatorvm In Parvis**

Gottingae: Apvd Victorinvm Bossigelivm, 1759

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn874377293>

Druck Freier  Zugang






Eb-10571-3

E6-10. 97-3

P. 53 p


COMMENTATIO PHILOSOPHICO PRACTICA
EXHIBENS
AMARTIENEIAN
SIVE
FONTES PECCATORVM
IN PARVIS
AVCTORE
SEBASTIANO CHRISTOPH. SCHWABE
SEMINAR. PHILOL. GOTTING. SODAL.



GOTTINGAE
APVD VICTORINVM BOSSIGELIVM.

MDCCLVIII.

Eb-10571-3



ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
GERLACO ADOLPHO
L.B. DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE STRAVSFVRTI REL.

AVGVSTISSIMI M. BRITANNIAE REGIS

A CONSILII INTIMIS

RERVM GERMANICARVM SVPREMO

ADMINISTRO

ET CAMERAE PRAESIDI

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAЕ

CVRATORI MVNIFICENTISSIMO

DISSE^TATIONEM HANC
DEVOTAE PIETATIS
ET GRATISSIMI ANIMI INTERPRETEM

D. D. D.

SEBASTIANVS CHRISTOPHORVS SCHWABE.

AD EVNDEM
ILLVSTRISSIMVM
MAECENATEM
EPISTOLA
IO. MATTH. GESNERI

Quod munusculum tibi, **DOMINE**, offerre audet honestus & doctus iuuenis,
illud plane de suo offert. Quidni enim scriptoris fi-
ant propria etiam, quae ille de magistrorum do-
ctrinis hausta in alimenta quasi ingenii sui con-
uertit; quae examinando, probando, commentan-
do, disponendo, explicando denique, sua fecit?
Hanc vero esse huius libelli conditionem, fide tibi,
DOMINE, mea confirmo. Est autem p̄rae-
terea is Schwabius, qui beneficio **TVO** semina-
rii philologici adhuc ita usus sit, ut non modo huma-
nitatis, & linguarum tum veterum tum recentio-
rum

rum studia cum Theologicis literis, quibus etiam
Ienae aliquot annis operatus est, diligenter con-
tinuerit; sed, quae de educandi instituendique ra-
tione tradere ego soleo, ex ipso naturae & usus sat
longi fonte hausta, ea iam ab aliquo inde tempo-
re ad usum ipse transferre cooperit feliciter, cui
iam aliquot pueri debent & amorem literarum, id
quod primum est, & profectus etiam aliquantum
quam pro aetate maiores. Hunc ego hominem,
ILLVSTRISSIME DOMINE, in eo-
rum numero futurum spero, qui, quo consilio con-
ditum a TE est hoc seminarium, illud cum utilita-
te priuatorum ac publica passim vel apud nos vel a-
pud exterios explicarunt, explicant, easque tibi
relaturum gratias esse, quas spectare solas consue-
uit magnifica illa animi **TVI** propositio. Addat mo-
do Deus aetati **TVA**E vigorem, ut quemadmodum
nunquam a bene cogitando & faciendo cessare caele-
stis animus **TVV**S solet, ita neque vim illam suffla-
minare vel ingruentis languor aetatis, vel tempo-
rum nostrorum varietas possit; sed tum in reliquo-
rum **TVORV**M in Regem & Patriam merito-
rum conscientia, tum in laetis huius Academiae
TVAE successibus, aliquo etiam huius seminarii,
fructu, longis aliquando perfuncta laboribus sene-
ctus **TVA** acquiescat. Scrib. a. d. XXVIII. Iul.
A. S. LIX.



§. I.

Si hominum conditionem, prout a variis, quaecunque tandem sint, causis corrupta depravataque est, diligentiore paululum inspicere velimus attentione, tristis sane illius nostro se animo offeret imago, eamque plurimis circumdatam esse malis, multa animaduertendi nobis copia dabitur. *Malorum* nomine, quibus homines laborare contendimus, intelligimus res, *a quibus molestie se affici sentiunt*; quae ad duo genera, ut nobis quidem videtur, commode cum *Platonis Sophista* *) reuocari possunt, quorum vnum in *αγνοίᾳ* s. *Ignorantia*, alterum vero in *προνοίᾳ* s. *Prauitate actionum* ponendum est.

§. II.

Hoc igitur duce in dispertiendis hominum malis usi, pri-
mum videamus de *Ignorantia* s. *αγνοίᾳ*, quae tam late patet,
ut non *circa homines ipsos*, sui ignaros scilicet, solum locum
habeat, sed ad eas etiam res extendatur, quae *extra eos* sunt
con-

*) conferatur *Plato in Sophista* p. 153. D. Edit. Ficini, Lugd.

A



constitutae. Ante omnia consideremus hominum ignoran-
tiam, quae versatur *circa se ipsos*. Hic eos recta & vi-
rium & defectuum notitia destitui, facile deprehendimus.
Nimio amore sui ducti de illis maiorem, de his vero mi-
norem, quam par erat, concipiunt opinionem. Indulgent
libenter animi cogitatis, quae versantur circa bona facultatesque
suas, easque in iusto mains extollunt. Contra abhorrent ab ea me-
ditatione, quae eos forte ad cognoscendos animi & corporis
defectus ducere poterat. Quin oculis suarum quasi partium ni-
mis studiosis pinguntur ipsa adeo vitia sub specie pulcri. Et
si interdum mens incidit in eam partem, qua reprehendendus
est homo, statim ab eius consideratione quasi resilit, aliisque
extra se rebus intenta in reliquorum hominum opinione id que-
rit, quo se carere modo sentiebat. Habent homines fucata de
se adulatorum iudicia pro oraculis, quibus decepti nonquam ir-
se ipsos descendere tentant, & non suam sed plane aliam agunt
personam. Quin si quis etiam vel amicus & honestus censor,
vel obtrectator malevolus de vitiis ipsorum agat; huic non cre-
dunt ob id ipsum, quod malevolus est, illum malevolum pu-
tant, quod reprehendit. Tanta hominem sui ipsius cepit obli-
vio! Nihil minus curat quam rectam sui ipsius notitiam.

§. III.

Ex eodem fonte originem ducere videtur *altera Ignoran-*
tiae species, quae *circa res extra hominem* constitutas versatur,
& a qua se non minus quam a priore male haberi serius ocius
sentiunt. Tanta eos interdum tenet sui fiducia, ut res ex-
tra se positas recte inspicere negligant, quia contemnunt, is-
ade sit, ut in summa omnium rerum ignorantie versentur.
Quemadmodum enim diuitiarum opinio inter maximas referen-
da est inopiae causas, ita etiam hic accidit: Idolis quibusdam
occupata hominis mens valde sibi placet, & in admirationem,
quoniam paene adorationem sui rapitur. Quid mirum, si de au-
genda

genda rerum extra se positarum notitia parum sollicita est, easque non cognitu dignas indicat? si neque *utilem* neque *noxiarum* rerum instructa est notitia? Ignorantiae *circa res utiles* morbum quod attinet, unusquisque suum animum ea esse caligine obuolutum, vt non semper videat, quid ad consequendam stabiliendam veram felicitatem faciat, facile sentire potest. Hinc falluntur saepe homines in optione rerum, quarum mox eos poenitet. Nimirae animi commotiones obducunt menti quasi velum, vt vere *utilia* vel plane cognoscere non possit, vel certe bona opinata pro veris habeat. Serius ocios nos nobis ipsis impossuisse comprehendimus, nostramque coescitatem *circa eligenda bona vera admirabundi deploramus.*

§. IV.

Ita quoque comparatum est cum *rebus noxiis*, circa quas simili ratione ignorantiam nostram fateamur, necesse est. Saepe accidit, vt eas res sub specie boni appetamus, quas deinde sub plane alia forma maximo cum damno & pudore agnoscimus. Feruntur homines interdum impetu vehementer ad ea, quae suo quisque vitae generi, imuneris, saporis, maxime conuenientia esse putat, post praeterlapsum autem aliquod temporis spatium inueniunt serpentem, qui sub flore pulero abscondite iacens, antea visum plane fugiebat, sentiuntque multo melius fuisse, si ab rerum tam sibi noxiarum usu abstinuissent, & detestantur adeo infeliciem operam, quam in consequenda opinata felicitate collocauerant, quod satis indicat, homines rerum *noxiarum* destitui notitia.

§. V.

Sed multo latius patet infelix illa Ignorantia, proditque se etiam in dignoscendis *hominibus aliis*, & quidem cum *noxiis*.

A 2

tum



tum *vtilibus*. Quemadmodum ipse hominis animus sibi mysterium est; ita non minus aliorum mens nobis delitescit, ut non statim appareat, quales sint. Solent homines tantum exteriorum in aliis habere rationem, eaque sequi, quae in sensu incurunt, cum tamen ad dignoscendos alios multo plura requirantur. Non enim semper se prodit per externa ea vis a praestantia interna, qua alter praeditus, nos adiuuare possit. Frons, vultus reliquaque externa sunt valde incerti mentis indices, ex quibus non semper licet de bonis alicuius internis iudicare. Hinc homines his saepe in fraudem inducti ab virorum bonorum sibique *vtilium* notitia excluduntur.

§. VI.

Circa *homines noxios* deprehendimus notitiam hominum etiam valde mancam. Cogimur & hic cum Pindaro *) exclarare

- - αμφὶ δ' αὐθέω -
 πῶν Φρεσίν αμπλειαῖς αὔξε -
 εἴδητοι κεράυνται. Deficit & hic hominibus lumen, quo tenebrae menti offusae, quae impediunt, quo minus noxii homines cognosci possint, dispellantur. Vel qualisunque ad vitam communem attentio magis, quam optabile erat, hoc confirmat. Num homines e. g. admissuri assent adulatores, si scirent eos esse pestem generis humani, tales, qui non solum iudicium veri adulterant, sed etiam plane delent veritatem? Iam vero quotidie animadvertendi datur copia, quantum capiantur lenociniis verborum fucatis homines; patefaciunt aures adulatoribus, fictus ad voluntatem audientis cum adhibetur sermo, conuertique se patiuntur ad eorum voluntatem. Insit igitur menti necesse est quaedam occoecatio, quae obest, quo minus pernicioſissimum illud hominum genus possit perspici.

§. VII.

^{*)} Pindar. Olymp. Od. VII.

§. VII.

Progredivit nunc ad *summam rerum causam*, in qua consideranda eodem modo querendum est: Quantum est, quod nescimus! Non potest fieri, ut tam finita ac tam angustis limitibus circumscripta hominis mens immensi ac infiniti dei capere atque eloqui notionem possit. Magnitudo diuina excedit mentis humanae modum, hominesque iis rebus, quae in sensu incidunt, nimis assueti non possunt plenam diuinitatis lucem haurire, nec, sibi dum relicti sunt, deum tantum, quantum est, cognoscere. A luce diuina remotos hoc iam agnouisse accepimus a Cicerone *) historiam referente talem: "Simonides, ab Hierone Syracusarum Tyranno interrogatus: Quid aut qualis sit deus? deliberandi causa sibi unum postulauit dicere. Cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petiuit. Cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quaereret, cur ita faceret? quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.

§. VIII.

Hisce, quas commemorauimus, Ignorantiae partibus accedit denique ea, quae spectat ad modum felicitatis moralis. Non quidem in dubium vocari posse videtur, instinctum quendam, nitendi ad felicitatem, omnibus hominibus natura esse insitum. In eo omnes omnino consentiunt: beate vivendi cupiditate incensos esse omnes. Verum cum ventum est ad rationem & modum, quo peruenire possint ad felicitatem veram, hic labor, hic fraus, hic caligo menti ossusa deprehenditur. Hinc proximum colligimus consecrarium, non nimis vrgendum esse, quod quidam summi I. N. principium constitunt:

Quaere

*) Cic. de Nat. Deor. L. I. C. 21.



Quaere felicitatem tuam. Homines enim natura vltro ad eam remis & quadrigis tendunt, sed in eo maxime laboratur, quod ignorant, felicitas vera in quo insit? Saluti generis humani melius consulitur, si in eo omnis ponitur cura atque industria, ut talia suppedimentum praecpta, quae huic mentis morbo medentur, ac commune illud felicitatis sufflamen remoueant.

§. IX.

Huic *Ignorantiae*, quam non ita viuide sentiunt propter ipsam ignorantiam, cognatus est *error*, quo volunt illam ignorantiae lacunam expiere. Quo de vitio ita questus est Princeps Philosophorum Plato *) ἀγνοίας μέρα τι μοι δοκῶ νοεῖ χαλεπὸν αἰφωνισμένον ὅραν ἔδος πᾶσι τοῖς ἄλλοις αὐτῆς αντισταθμον μέρεσι. τὸ μὴ κατεύθυτα τι, δοκεῖ εἰδέναι . διὸ καν δινεῖται, πάντα ὅσα διανοίᾳ σφαλλόμενα, γίγνεσθαι πᾶσι.

§. X.

Praeter hanc *Ignorantiam*, aliud malorum genus est *Prae-
uitas actionum s. πονηρία*. Quae cum tam manifesta sit, vix opus habet declaratione: Ceterum quorum vitiorum apud Platonem loco, quem §. I. citauimus, fit mentio, tanquam partium πονηρίας, illa nunc speciminis causa breuibus persequemur. Primum est *deīdia s. timiditas*, cum ignavia coniuncta, quam multa sequuntur vel male facta, vel cum peccato intermisca. Metu perturbatur hominum vita, si mentem subeunt mala imminentia. Fingunt pericula, licet forte longe adhuc remota sint, valde sibi esse vicina, & ita sunt ante miseras miserias. Nimius hic metus magnum iis obiicit impedimentum, quo minus officiis suis recte fungi possint; hoc enim correpti, distrahitur

*) videatur *Platonis Sophista* p. 153. F.

Hic animus, ut non possit in re sibi peragenda satis figere cogitationem. Haec *timiditas* habet comitem *Ignauiam*, ex qua subterfugiunt laborum perfunctionem, & ad portum potius otii confugiunt. Aliud *timidorum* genus suscipit quidem laborem, cum primum autem vel paululum in eo gustauit molestiae, medio in cursu subsistens, incepto neglecto, pristino se dat languori. Et quum ne suis quidem rebus manum admoueant, eo magis desunt aliis, quos innare poterant, praebentque se in alterius calamitate otiosos spectatores. Porro nolunt perferre doles, iisque humili animo succumbunt. Obliti fati, quo humana instantur, nimis perturbanter his, quae vitare humanae potestatis non est. Intolerabilis iis videtur conditio, qua nati sunt, queruntur, plorant, suisque rebus supra modum ingemiscunt. Breuiter sed diuinitas *Orphici carminis* auctor caussam assignaturus illius calamitatis, quod pauci in *Mercurii* antrum h. e. ad felicitatem perueniunt: *)

Μόχθον ασσωτῆρα βίς μάλα πεφείασιν.

Ab hac meticolositatis tam late patentis ratione est, quod apud Graecos δέλοι vniuersum pro malis, quo sunt antiquiores scriptores, ponuntur.

§. XI.

Aliud vitium, in quo *prauitas* hominum naturalis appetet, est ἀκολαστος f. *intemperantia*. Quemadmodum homines variis tenentur studiis; ita varium in modum contra temperantiam peccatur. Sic quidam nullum plane tenent modum in perfruendis voluptatibus illicitis. Quo magis iis indulgent, eo illas siunt ardenter. Omnes in eo ponunt operam, ut fiant noui artifices in excogitandis, fruendi voluptate, modis. Quaerunt indefesso studio gulae ac libidinis vices. Omni cor-

pus

*) De Lapid. Proem. v. 64.

pus eorum vacat impudicitiae, & a malis libidinibus tanquam
a rapidissimo torrente ad quaevis turpia sine more mox quoque
feruntur.

§. XII.

Superest *natura* s. iniustitia quae hominibus valde com-
munis est, variisque cernitur modis. Quidam denegant aliis,
quae tamen propter vincula, quae inter ipsos aliosque interce-
dunt, merito praestare debebant. Ut hoc utar, promissis &
conuentis non stant. Poscentibus iustum laboris mercedem tri-
buere nolunt. Deposita, fideique eorum commissa reddere,
praestare recusant. Alii alio iniustitiam exerceant modo, dum
alteri auferunt, quicquid iusto nomine possidet, si modo ea re
sua augeri possint commoda. Quin usque eo quidam sunt ini-
qui, vt ne parcant quidem existimationi famaque alterius, sed
eripiant boniviri nomen. Polluuntur denique iniustitiae no-
mine, qui malum aliquod inferunt alteri, quod inferendi po-
testatem vel necessitatem non habebant. Hanc, quam diximus,
peruerstatem actionum, in aliis facilius animaduertunt homi-
nes, suam autem sero plerumque ex poenis intelligunt.

§. XIII.

Posset tertium quoddam malorum genus constitui, quod
neutrū forte dixeris, in quo morbi, casus fortuiti & id ge-
nus alia incommoda collocari poterant; sed nunc in iis enarran-
dis morari non est animus, quia aut referri possunt ad al-
terutram classim, quas diximus, aut a nostro scopo aliena
sunt.

§. XIV.

Quae de *Ignorantia & Peruerstata* actionum diximus fa-
tentur

tentur omnes. Itaque ne opus quidem est, ea probare *vel e* S. S. literis, quae viuidis admodum coloribus mala, quae pre-
nunt mortales, pingunt; *Vel e profanis v. g. Horatii illo* *) vbi plura congerunt interpres, quibus hic nihil opus est. Quid enim sibi volunt omnes omnium populorum leges, disciplina, poenae, praemia, illae vitiorum emendatrices, virtutumque commendatrices? Nonne ponunt depravatam hominum conditionem, quae illis indiget? Quid sibi volunt omnium Philosophorum promissa ac pracepta, quibus exacutatur mens ad bona diligenda reiiciendaque contraria? Nonne clament, tot tantisque circumdatam esse hominum vitam malis, quibus a via, qua itur ad felicitatem, vel inuenienda vel ingredienda arceantur?

§. XV.

Quaeritur autem merito, *vnde sint ista mala?* Non magis sane otiosa videtur haec esse quaestio, quam illa Medicorum, *vnde morbus?* Verum non tractabimus eam hoc loco ex Theologorum dictatis, qui docent, primos hominum parentes Diabolii suggestione, infelici lapsu posteris ea, quibus ingemiscunt, mala contraxisse; nisi quod per hanc occasionem fatemur, posse forte moderatum prudentemque hominem, qui non semper culpa sua minuenda causa, ad peccatum originis recurrere, in eoque praesidium peccatis, culpa ac consuetudine magis, quam natura contractis querere velit, simili in hoc argumento uti temperamento, quod placet viris sapientibus in Dogmate de Theologia insita, vbi post *Propterea* quorundam sententias, acquiescere videntur hodie homines, moderati in eo, ut fateantur, non nasci nobiscum *propositiones*, quas dicunt, *actuales*, quae affirment aliquid de Deo, eiusque attributis, sed illarum

*) *Horat. Satyr. L .I. 3. 68.*

larum cognoscendarum accipiendarumque facultatem. Sic dicamus, nasci nobiscum non peccata proprie dicta, sed eam animorum conditionem, quae semina peccati, ab aliis sparsa, facile recipiat soueatque, ut inde fructus pessimi maximaque peccata proueniant. Sed de his viderint Theologi, nostrum non est, nunc nos hanc in causam demittere.

§. XVI.

Nec *Metaphysice* iam illam de malorum nostrorum origine, nisi παχυλῶς per obseruationes aliquot tractamus,

1.) *Malum non esse a Deo.* Cum enim deus sit perfectissimus atque sanctissimus, non potest neque in eum vlla imperfectio cadere, neque in res ab ipso creatas mali quidquam emanare. Sed videamus Theodiceam Platonis, (*) qua Dei causam praedclare agit: “εἰς ἀγαθὸς ὄγε Θεὸς τῷ ὄντι τε, καὶ λεκτέον
,,ἔτω; - ἀλλὰ μὴ εἰδέν γε τῶν ἀγαθῶν βλαβερον. - Ἄρε γν,
,,οὐ μὴ βλαβερον, βλάπτει; οὐδὲ μὴ βλάπτει κακὸν τι ποι-
,,εῖ; οὐδὲ γε μηδὲν κακὸν ποιεῖ, εἰδὼν εἴη κακὸς αἴτιον.
,,Τι δέ; ὠφέλιμον τὸ ἀγαθὸν; αἴτιον ἀρέα ἐυπραγίας. ἐκ ἀρέω
,,πάντων γε αἴτιον τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ τῶν μὲν ἐν ἔχοντων
,,αἴτιον, τῶν δὲ κακῶν αἰνάτιον. - τῶν δὲ κακῶν ἀλλ' ἀττε
,,δεῖ ζητᾶν τὰ αἴτια ἀλλ' ἐτὸν Θεόν. En! quam plane,
quam viuide instituat argumentationem Plato! Et hoc nomine multis dignus est laudibus, quod scilicet hic secutus est simplicitatem *Socratis*, qui omnem philosophandi rationem ad ipsum hominum sensum conformauit, adeo, ut ea eorum mentem vehementer mouerit.

2.) *non omnia mala a corpore in animum venire, licet occasio-
nem plerunque det corpus: sed potius contra plurima mala*

trans-

*) cf. *Plato de Republ.* L. II. p. 439. D E seq.

transire ex animo ad corpus. Animus utitur corpore ut instrumento ad exsequenda ea, quae intellectus tanquam bona cognovit & ad quorum possessionem tendit voluntas. Pulcre ille apud Platonem (a) Zamolxis: πάντα ἐκ τῆς ψυχῆς φέμηθαι καὶ τὰ πάντα καὶ τὰ αγαθά τῶν σώματος, καὶ πάντι τῷ αὐτῷ θέραπω. καὶ ἐπειδὴν ἐπιβρέψῃ, ὡσπερ ἐκ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ τῷ ὄμοιστοι. δεῖν εὐ ἐκεῖνο καὶ πρώτον καὶ μάλιστα θεραπέουειν, εἴ μέλλει καὶ τὰ τῆς κεφαλῆς, καὶ τὰ τὰς ὅλας τάματος κακῶς ἔχειν.

3) Malitiam actionum fere esse ex ignorantia. Non possunt homines semper perspicere conscientia, quae malam actionem comitari solent, semperque in peccatis committendis opinionem boni sequuntur. Etsi vero circa hanc valde decipientur, saepeque prolabantur ad ea, quae magnum eis inferunt dampnum, tamen non dici potest, eos ea facere, quatenus sunt mala, sed quatenus eis visa fuerunt bona. Hanc etiam observationem confirmet Plato (b) ἐπὶ γε τὰ πάντα γένες ἐνών ἐγέχεται, γένες ἐπὶ ἀοίτοι πάντα εἶναι. γένες ἐπὶ τῷ τοῦ, ὡς εοικεῖν, εν αὐτῷ Φύσει, ἐπὶ ἀοίτοι πάντα εἶναι, ἐθέλειν ἕνεκεν, ἀντὶ τῶν αγαθῶν. Certe etiam hi, quibus exprimit conscientia interdum Medeae vocem, (c) aut Pauli adeo, (d) γένες ὁ Θέλω, ποιῶ αγαθὸν· ἀλλ᾽ ὁ γένες Θέλω πάντοι, τῷ πράσσω; tamen in ipso peccandi actu iudicant melius esse frui hodie, cras puniri. Repraesentatio voluptatis ex praesente opinato bono resultantis vincit, opprimitque reminiscientiam adhuc absensis mali, aut doloris ex prava actione oriundi. Neque vero illud negari potest, eiusmodi homines esse seruos peccati,

(a) *Plato in Charmide* p. 237. A B.

(b) *Plato in Protagora* p. 213. A.

(c) *Ouid. Metamorph.* L. VII. v. 20 & 23.

(d) *Rom. VII. 19.*



peccati, atque adeo naturali libertate vtentibus vix accensendos.

§. XVII.

Tractabimus potius *hanc Quaestione*: *vnde sint enarrata modo mala?* historicè quodammodo s. empirice, sicut Medicus, qui non in omni morbo redit ad prima Physiologiae Elementa, vt obseruemus, quomodo fiant homines pedetentim mali, (nam nemo repente fuit turpissimus, *Iuuenal.* II. 82) & ne hoc quidem totum in praesens; sed quomodo fiant mali ab Educatione, h. e. vniuersim illorum culpa, qui cum illis versantur, eorumque curam gerere debent. Diligens ad vulgarem educandi rationem attentio vnumquemque docere potest, quanta per eam infligatur generi humano miseria ac calamitas; ideoque eo maioris videtur esse necessitatis, vt *peccata illa*, quae paruis ab educatione contrahuntur, ante oculos ponantur, vt eo diligentior educationis cura habeatur. Quod vt fiat felicius, consideremus hominem a matre recentem & alligatum in cunabulis, qui nondum a quacunque causa extra se constituta corruptus est, cum *illis Primis Naturae*, quae ei a sapientissimo Creatore insita sunt. Facimus hic tantum obiter eorum mentionem & quidem ea ratione, qua usus est *Illustris Gesnerus* in aureo Encyclopaediae libello p. 163; sed deinde agemus de singulis paulo fusiis. Ad *Prima Naturae* referenda sunt:

- I. *Conseruatio sui,*
- II. *Insatiabilis quedam sciendi cupiditas,*
- III. *Cui adiuncta est facilitas in credendo,*
- IV. *Atque adeo, nisi quis alias impetus maior intercedat, in parendo.*
- V. *Amor status sit atque conditionis,*
- VI. *Amor actionis,*
- VII. *Impetus ad Voluntatis cuiusque fructum,*

VIII.

- VIII. *Societatis desiderium*,
IX. *Misericordia*,
X. *Imitandi studium*,
XI. *Par pari referendi studium*.

§. XVIII.

Hic iam obseruemus ante omnia

a) infinita esse illa desideria, illos velut nisus, conatus, impetus, quibus a natura praediti sunt homines. Flagrant incredibili paene cupiditate omnia sciendi parui, quaecunque in oculos incidentur. Hinc tot oriuntur quaestiones, in quibus proferendis non temere fatigantur. Deinde volunt omnia habere, possidere, omnibus rebus frui, cum primum semel aliquid arripuerunt, tuerintur illud manibus ac pedibus, & aegre sibi eripi patiuntur. Ut in natura corporea vis illa aëris elastica expandit se quaquevisum, vehementerque habet nisum, versus omnes directiones agendi; Ita quoque comparatum est cum infinitis illis desideriis. Vix possunt expleri, tendunt potius semper plus ultra,

b) Sed restringi & ad modum quandam redigi. Quod nempe modum excedunt, opus habent moderatione, & hoc sit dum restringuntur

α) a se inuicem, vt in se agunt corporum particulae, quae prout comparatae atque inter se mislæ sunt, se ipsæ temperant ac modum sibi inuicem constituant. Sic habendi cupiditas restringitur a cupiditate eminendi, fruendi: Sic vindictæ studium ad modum quandam redigitur a cupiditate socialiter vivendi: Sic nimia voracitas coeretur ab instinctu valetudinem tuendi, & ita porro.

β) ab aliis, qui & ipsi habere, possidere, scire omnia & omnibus frui volunt. Hinc sit, vt interdum hominum studia in appetendis rebus collidantur, & ita alii aliorum



desideriis terminos constituant. Hoc modo restringuntur illa infinita desideria, eisque compedes quasi iniiciuntur, ne omnem plane modum excedant, versusque cimnes res iusto vehementius ruant.

c) Porro obseruare licet, hominem non minus, quam anima-
lia expectare similes similibus at tecedentium causarum euentus.
Si puer e. g. semel ardore fornacis aut candelae, cui nimis
prope accessit, laesus est, fugit postea, quantum potest, hanc
noxiā sibi causam, ab eaque simile timet malum.
Haec ipsa iam brevis commemoratio adinonere nos potest,
quantum referat, inter quos aliquis nascatur, quos vel *educa-*
*tore*s vel collusores vel generatim socios primae vitae partis ha-
beat. Sed age distinctius videamus, quomodo ab his homi-
num, inter quos puer versatur, generibus, *maxime a primo*
illo Educatorum illa Prima Naturae
vel I. nimis incitentur,
vel II. reprimantur cum periculo ac damno,
vel III. depraventur, b. e. ad obiecta non sua applicentur.

§. XIX.

In Primis Naturae

I. illud est, quod vitam suam, integritatem membrorum, va-
letudinem amat quisque & tueri omni vi studet. Omnibus
hominibus hoc a natura i. e. Deo datum esse, cognoscimus
omnes. A vitae initio inde exserit se instinctus se conseruan-
di ploratione illa lamentabili, qua ea suppeditari sibi vel nescien-
tes petunt, quae ad se nutriendos faciunt, & contra ea a se
remoueri, a quibus male habentur. Vbi paululum adulti,
cum primum se cadere sentiunt, praetendunt manus, & hoc
modo se muniunt contra mala, quae corpus hoc casu male affi-
cere poterant. Repellunt a se quam vehementissime iniurias
sibi illatas, & abhorrent ab omnibus rebus, quae corpori in-
teritum

teritum minari videntur. Fugient dolores ac iniurias aëris. Amant potius alimenta, quibus vita sustineri recrearique possit. Hoc Primum Naturae, *Conseruatio sui*

I.) nimis incitatur ab Educatoribus *anxia & nimia*, qua parvorum corpus complectuntur, *cura*. Quidam parentes stulte praeconcepta abrupti opinione putant, quo moliores delicatoresque habeantur parvi, eo magis prospici eorum valedutini. Ideo sollicite eos custodiunt ab aëre liberiore ac paululum frigido. Volunt eos semper tectos vestium molli densitate & cubiculis vaporatis inclusos esse. Et si interdum permittunt, ut prodeant, inuolunt eos quasi totos vestibus pelliceis & nescio quibus aliis id genus vestimentis, quibus frigus diligentissime arceri solet. Permittendo, ut pueri de nudato capite extra cubiculum eant, aut aqua frigida manus lauent, maximam se inferre valetudini corporis noxiam putant. Praeterea tractant eos in reliquis rebus admodum moliter, & vehementer de eo sunt solliciti, ne quid duri aut molesti quidquam parvi subeant. Quidnam vero inde expectari potest, si parvi ab vsu aëris liberioris arcentur? Nonne debile ac infirmum corpus ipsis reddetur? Cum primum deinde adultiores iniuriis aëris, quae tamen omnino vitari non possunt, exponuntur, aegrotant variisque morborum generibus affliguntur. Quam slulta haec anxia circa corpus cura ac mollis partios tractandi ratio sit, praeter alia inde potest intelligi, quod frons ac facies, non minus tenera reliquis membris, ad quasuis tamen perferendas aëris iniurias adfueri potest. Quid impedit, quo minus aliis corporis membris mature quaedam durities contrahatur? Praefstat ea profecto multiplice in vita communi usum; nescitur enim, in quamnam vitae conditionem olim incident parvi. Iam vero si tunc deum velint corpus illi vitae generi, forte sic satis aspero, atque molestiis cum eo cuniunctis subigere, soto id fieret, quod etiam multi cum vita periculo saepissime

me



me experintur, ac merito stultitiae educatorum suorum ingemiscunt. Hinc Sapientes Viri, quibus sana ac robusta corporis valetudo hominum curae cordique fuit, voluerunt, vt infantes ab iucunabilis inde adsuefierent, ad quod nati sunt, i. e. ad dura quæque & aspera patientia. Sapientissimus Laconum Legislator *Lycurgus* iussit, vt infantes quam tenuia haberent vitae initia. Iniungebat nutricibus, vt eos duriter, quantum fieri poterat, haberent & sine fasciis educarent (a) Idem Auctor *Plutarchus*, Lacedaemonios sine calceis incedere & maximam partem nudos assuefecisse pueros lusitare, commemorat. (b) Haec seuera educandi ratio conuenit etiam cum Magni *Lockii* praeceptis, qui in peruerso educandi modo infinita emendauit, & hac de re optime meritus est. Ominus princeps, quam in recta educatione obseruari vult regula, quanique fundamenti loco ponit, est, ne infantes neque hieme nec aestate nimis calidis vestiantur vestibus. (c) Deinde suadet etiam, vt quotidie pueri pedes aqua frigida lauentur (d) Porro vt intersit, quantum fieri potest, aeri liberiori & quidem denudato capite, (e) vt sensim adsuescat, iniurias aeris perpeti. Sed dicat aliquis: quorsum ista hic disputantur? *εμαρτυρείσθε* promisisti: an peccatum est,

(a) cf. *Plutarchi Vit. Parallel.* ex Edit. Lond. p.107. in *Vit. Lycurg.*
ἢν δὲ περὶ τὰς τροφὰς ἐπιμέλειά τις μετὰ τέχνης,
ὤσε ἀνευ σπαργανῶν ἐπιτρέφεται τὰ βρέφη, τοῖς μέ-
λεσι καὶ τοῖς ἑδεσιν ἐλευθέρως ποιεῖν, ἔτι δὲ ἔυκολας
τοῖς διατάξις καὶ σπουδα.

(b) *Plut.* cit. loc. p. 108. *Βαδίζειν αὐτοπόδήτες, πάκεν τε γυμνὲς ὡς τὰ πολλὰ συνεδίδοντες.*

(c) *Lock of Education* §. 5.

(d) §. 7.

(e) cit. loc. An other Thing that is of great advantage to every one's Health, but especially children's, is, to be much in the open

est, corpore tenero esse atque imbecillo? Peccatum id non est, sed est impedimentum exercendae virtutis: est irritamentum ignauiae: sit denique pars illius *deicias*, quam §. X. descripsimus. Hoc magis etiam pertinet ad ea, quae nunc statim subiiciemus. Nempe studium conseruationis sui *nimir* incitatur & in noxiā teneritatem degenerat, si paruis persuadetur vel leuissimos labores illis nocere. Ne permittuntur quidem, ut, viribus etiam sic satis firmis instructi, suant sebi exiguum in induendis & exuendis vestibus labore; sed oportet semper ministrantes eis adesse, qui eos ab usu virtutum suarum quasi auoceat, omnes qualescumque operas eis praestent. Hac re contrahitur eorum membris turpis quidam *languor*, fugiuntque, quantum possunt, stulto metu ducti, ne noceatur sanitati, omnis generis laborum ac molestiatum perpessionem. Ita diligens nimis cura, qua cauent educatores, ne labatur forte puer, ne offendat, ne in aquam incidat, ne haeret in luto, *etiquay* efficit, & *consilii inopiae* & *desperationem*, & ignauiam succurrendi aliis & quae sunt alia.

2) studium conseruationis sui reprimitur, si parui solum negligentiae nutricum & ancillarum permittantur. Nolunt quidam parentes vlos in educandis liberis perferrre labores ac molestias. Nolunt interesse ploratui aut aliis iniucundis, quae educationem comitari solent, rebus. Ideo student se quam longissime a praeſentia patuorum remouere. Tradunt eos

open Air, and very little as may be by the Fire even in winter. By this he will accustom himself also to Heat and Cold, Schine and Rain; all which if a Man's body will not endure, it will serve him to very little purpose in this World: And when he is grown up, it is too late to begin to use him to it: It must be got early and by degrees, Thus the Body may be brought to bear almost any thing. I would also advise him to play in the Wind and the Sun without a Hat.

C



eos nutricibus aut aliis id genus hominibus, in quorum societate multum detrahitur studio se conseruandi. Sunt enim plerunque leuis animi, negligentesque sui officii, non satis curas corporis paruorum gerunt, intenti suis rebus, negligunt paruos. Solent suas vitae commoditates curis, quas circa conseruationem paruorum suscipere debebant, praeferre, & quo rarius a parentibus ipsis obseruantur, eo negligentiores in praestandis officiis sunt. Abeunt interdum dies & hebdomades, quam vel semel parentes scilicetentur aut videant, quid sui agant liberi? Hinc saepe accidit, ut parui, negligentiae ancillarum solum relicti, periculo vitae exponantur, membris capiantur, aut alia corporis incommoda ac vitia inde reportent, quibus deformes & ad gressuaditae munera saepe redduntur inepti. Dicas: sic tamen caueri aut emendari adeo illud incommodum, de quo ante parentes accusati sunt? Modo non consequentur illa, quae modo dicta sunt: modo non alia, quae deinde commemorabuntur, quaeque magis ad nostrum argumentum pertinent.

§. XX.

II. *Insatiabilis quedam sciendi cupiditas atque curiositas* deprehenditur in paruis. Pingit hanc pulcherrime Cicero, (*) cum dicit: "Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplationis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsi requirant, "Aliiquid scire se gaudeant? ut aliis narrare gestiant? ut "pompa, ludis atque eiusmodi spectaculis teneantur, ob eamque "rem vel famem vel sitim perferant? Ita sane est cum pueris. Volunt omnia scire & videre, ascendunt in mensas, sellas atque scalas, et si vel maxime cum periculo coniunctum sit. Maligni se praesentissimo exponere periculo, quam non cognoscerentur,

*) Cic. de Finibus L. V. C. 18.

re, quid ibi rei sit, quidque ibi agatur. Eidem curiositati tribuendum esse videtur, quod plerumque crepundia sua non diu seruent integra. Non possunt prius quiescere, eaque ex manibus deponere, quam viderint, quid intus sit. Hinc tam diu ea ab omnibus partibus considerant & tractant, donec foramen fecerint, ut possint inspicere, quomodo intus comparata sint. Ardent incredibili paene cupiditate audiendi historiolas fabellasque, & defixis plane oculis pendent ab ore narrantis. Quin adeo capiuntur narratiunculis, ut hisce, quicquid velis, si rem recte instituas, ab eis impetrare possis. Hoc *Primum Naturae* autem

Nimis incitatur in paruis

a) si domi conceditur, ut omnia audiant & videant, quae scitu non necessaria, aut etiam noxia sunt. Arbitros esse quidam parentes paruos omnium, quae agunt, patiuntur. Permitunt, vt se omnibus ingerant immissantque rebus, quae tam nihil ad eos attinent: Item vt sint omnium primi, qui cognoscant, cum primum aliquid noui accidit, aut iubent adeo illos explorare homines, eorumque venari colloquia, qui negotii causa dominum frequentant. (a) Praesertim autem nimis inflammatur illa *Curiositas*, si eis interesse liceat sermonibus, vbi vel de peccatis parentum audiant, qui ipsi nonnunquam, nescio qua vanitate ducti atque inconsiderantia, vt mitissimo nomine utar in re grauissima, stultitias iuueniles praesentibus paruis magna cum voluptate narrant, aut adeo de iisdein gloriantur:

(a) Mr. Croufaz T. II. Sect. V. p. 229. Il faut éloigner de bonne heure les Enfans de la dangereuse habitude, d'écouter des rapports, d'aller furetant de tous côtés, pour savoir ce qu'on dit d'eux, & de prêter l'oreille à tous les contes. - On ne sauroit de trop bonne heure les amener à avoir honte de cette petitesse d'esprit, & de concevoir un parfait mépris pour ces personnes oisives.



antur: quo, nescio, an quid magis ad corrumpendos pueros valeat, nisi forte illud, si ipsa peccata parentum vident. Quosdam enim ne pudet quidem, turpia coram pueris committere, quod stulte putant, eos nondum talia intelligere, seque posse ea saluo eorum pudore facere, sed ad omnes aliorum actiones diligentissime etiam praeter opinionem attendunt. Sapientius & religiosus fers, quam a petulante Satirico exspectes, Iuuenalis (b)

*Maxima debetur pueru reuerentia: si quid
Turpe paras, nec tu pueri contenseris annos,
Sed peccaturo obstat tibi filius infans.*

Diligentissime igitur cauendum est Educatoribus, ne quid praesentibus paruis agant, quod praeceptis recti atque honesti repugnet, & quod non etiam in conspectu seueri Censoris facere velint. Porro peccatur circa hanc naturalem curiositatem, si studiose ex paruis quaeruntur, quae in aliorum donribus viderint atque audimerint, ita ut sint quasi Echo quaedam, per quam omnia aliorum dicta atque facta apud parentes resonent.

b) Accenditur etiam naturalis, de qua agimus, *curiositas, si quaestionibus eorum circa res scitu noxias ne aliquo quidem modo satisfiat.* Quemadmodum parui, quo erectioris sunt ingenui, eo plura quaerunt; ita etiam interdum incident in quaestiones, quibus saluo pudore non possis satisfacere. Hic quidam putant optime occurri huic intempestiuae curiositatib; eamque suffocari, si plane nihil respondeant, & ipsam interrogationem ut peccatum reprehendant. Sed caue, putes, curiositatem sic deprimi. Experientia potius docet, eam, instar aëris compressi, eo vehementiorem fieri. Haec, quam tulerunt, repulsa eos adeo incitat, ut quoeverque possint modo, hanc sciendi sitim explere suudent. Adeunt potius vel obnoxios homines, vel qui in respondendo se non satis circumspete gerunt, vel etiam malevolentia quadam, certe leuitate ac petulantia impulsi, noxia iis

pro-

(b) *Iuuenal. Sat. XIV. 47.*

propinat. Ideo multo melius esse arbitramur, aliquid saltem respondere, eosque ab investigatione rei, a cuius cognitione illis metuimus, bello modo auocare, quam simpliciter omnem iis denegare responsonem, atque aperte profiteri, quaestioni, ab illis prolatae, subesse aliquid prohibiti, quod scire non licet. Opus est omnem hic prudentiam adhiberi, ne iis praebeatur nitendi in vetitum occasio. Lubricus hic & inter difficillimos in educatione locus est, cum sit obseruatum saepius, puellas, dum quaererent magistros arcanorum Veneris, quae poterant placabilius a matre vel matertera audire, incidisse in linguas corruptrices. Nec in nostro illud sexu inauditum. Oportet sapere scilicet.

2.) reprimitur haec sciendi cupiditas generatim peruerso in-situendi modo. Sunt multa, quae hic moneri poterant, sed volamus tantum quorundam, in quibus peccatur, face-re mentionem. Quis est, qui nesciat, *stultum illum ediscen-di modum* valde adhuc in scholis dominari, cum vel plagis vel contumeliis iniuti coguntur parui, ea memoriae manda-re, de quibus ne qualemunque quidem accipient, vel formare sibi possunt notionem? Obtraduntur eis vocabula sine ullo imaginum subsidio & extra orationis nexum discenda, quibus quaenam vis atque potestas sit subiecta, simpliciter nesciunt. Quam misera, quamque infelix discendi ratio! Nonne hac omnis amor ac studium discendi exstinguatur ne-cessus est? Quid dicamus de *vulgari, linguam latinam docen-di, more peruerso?* quam misere cruciantur ita addiscenda illa pueri? coguntur regulas Grammaticas, quas non intelli-gunt, ediscere, quod multis cum genitibus & querelis, quas de difficultate linguae habent, coniunctum esse solet. Deinde exagitantur *sterili illa Analyse grammatica.* Iubent praec-tores eos singulis verbis inhaerere, ad fastidium usque tri-cas grammaticas iis inculcant, non sine temporis, rei inaes-timabilis, quia irreparabilis, dispendio ac maximo iuuentutis

❧ ○ ❧

incommodo. Hoc enim modo ardor descendit, amorque bonarum litterarum, quo omnes nituntur profectus, ex animis puerorum non potest non exigi, & contra fastidium litterarum excitari. Si enim vni rei, praesertim non intellectae, tam diu inhaerent, animus dissentium fatigatur, & patientia eorum inahibus Grammaticae terminis, sic enim vocant, i. e. nomenclaturis vineitur. Hinc beneficium institutionis in summa collocant poena, frequentant scholas iniuti, quas libente hilarique animo adire debebant; cum contra lectione cursoria varietateque rerum cupiditas descendit ac amor litterarum irrisifice alatur augeaturque. Tum demum enim res vere amamus, cum auctam iis nostram intelligentiam aut quamcumque facultatem sentimus. Iam vero quis negare potest, celeri illa scriptorum lectione multo plura, quam tarda laquilaque cognosci posse, & inter tam multa varia occurrere, quae lectori placeant, in quorumque notitia se proficere sentiat? Praeterea reprimitur haec sciendi cupiditas *speciatim*.

(a) *Si Educatores paruos propter frequentes quaestiones incrementant.* Magna hic opus est circumspectione, ne copiose prolatae quaestiones aegre molestaque ferantur, aut derisionibus adeo & contemptu eludantur. Quod si aliquoties eis acciderit, despondent animum, nec audent quaerendo, quae tamen sola augendae cognitionis relata illis via est, notitiam rerum amplificare. Molestia atque asperitas, quas ob prolatas quaestiones experti sunt, efficiunt in eis languorem desidiosum, ut neque ostendant eo tempore curiositatem, vbi ea maxime opus erat. Privantur hac ratione parui valde idque, infinita numero utilia iucunde descendit, subsidio, & contra turpi ignorantiae, ex qua se tamen liberare studebant, relinquuntur. Oportet potius paruos considerare ut peregrinatores, qui ante breue temporis spatium in terram sibi plane incognitam venerunt, vbi eis adhuc noua sunt omnia. Iam vero quam stulte is ageret, qui eiusmodi homini-

bus

bus' vitio vertere, aut adeo irasei 'vellet propter tot propositas quaestiones? Ita cogitandum est, si cum pueris saepe querentibus versandi datur copia. Agamus cum iis amice, nec irascamur, si ex nobis multa querant, ne timore deterriti ab omni in posterum abstineant inquirendi ac sciendi studio.

(b) reprimitur circa notitiam sacerorum, si Praeceptores aut plane non tractant sacra, aut si parui vident, scientias profanas pluris fieri sacris. Fecit forte quorundam paedagogorum intemperantia, ut quibusdam in familiis contrario errore nulla fere augendae cognitionis paruorum in religione habeatur ratio. Vix tribui volunt unam horam per hebdomadam explicandis religionis dogmatibus, ut inde in opinionem veniant parui, ea. omnium minimi habenda esse, nec magna digna esse attentione. Quanta autem eo infligitur teneris animis calamitas! Negligunt educatores quasi data opera facilitatem, quae paruorum animis natura inest, diuinis rebus summisque religionis capitibus assentienti. Iaciunt prima fundamenta infelicissimae consuetudinis, contemnit de rebus diuinis cogitandi, loquendi, aut adeo eas deridendi. Frustra fere agitur cum sic adultis de deo debitaque illi reverentia, nisi mature intimis quasi medullis hae notiones salutares fuerint infixae, certe non tam potenter iis mouentur, quam si illa tenera aetate iis propinatae fuerunt, atque altas iam radices egerunt. Sunt, qui volunt, institutionem in religione differri ad plenum rationis usum, & vtuntur ad confirmandam hanc sententiam speciosis argumentis. Sed non possumus sententias eorum calendarum addere; nam ex iisdem, quas adducere solent, rationibus liceret etiam colligere, differendum esse honorem ac obedientiam parentibus & educatoribus praestandam, (*) quod tamen nunquam illius sententiae propugnatores concessuros esse speramus. Potentissima ad virtutem efficiendam, exstirpanda vitia

in

*) Vid. *Illust. Gesneri Isagog.* in *Erudit.* vniuersal. §. 1519,

in puerilibus animis est religio. Praeterea habet religio nostra multa mysteria, quae cuiusvis adulti vires intellectus excedunt, quaeque simpliciter credenda sunt. His multo melius esse videtur, occupari animum paruorum prima aetate, quam ea expondere difficultatibus ac scrupulis, quos adulterio ac sapere se putans aetas in credendis hisce mysteriis obiicere solet. Optimum igitur esse putamus, ut illa opportunitate ac docilitate paruorum & memoria, etiam in propinandis religionis dogmatibus, ne nobilis illa sciendi cupiditas circa ea reprimatur. Cui studio non aduersum est illud, ut ratione pariter atque exemplis ostendamus, multa esse in omni vita, quae credenda sint ante, quam intelligantur. Ceterum, cum primum potest, efficiendum est, effici autem facilius potest in paruis, ut sit via illorum cognitio. Quid hic solidum sit, alia est, & remotior ab hoc loco disputatio.

3) deprauatur v. c.

a) si peruersis notionibus de Deo animi paruorum imbuntur, quod multis occasionibus fieri solet; in primis autem

α) occasione tonitru ac fulgurum fulminumque. Orta magno cum tonitru fragore tempestate inculcant paruus, haec esse manifesta Dei irati signa. Quouis fere coeli tonitru clamant: ecce haec est vox terribilis summi numinis! Audi quanta in homines ardeat ira, vult impios fulmine persectere. Hisce minis putant quidem Educatores, paruorum animos optimie coerceri, sed non cogitant, eorum sciendi cupiditatein deprauari & ad peruersas de Deo elisque attributis notiones dirigi. (*) Informant enim sibi parui deum

tan-

(*) Mr. Cronfaz dignus est, cuius verba hic referantur ex T. II. Sect. VI. p. 329. Je me garderai bien, de représenter à un enfant le tonnerre comme la voix de Dieu qui est en colère, & qui irrité effraye les hommes, frappe les rochers, & tantôt renverse ses Temples, & tantôt jette ses flammes dans la Mer; ce seroit lui donner des idées de Dieu peu conformes à la vérité, à la bonté & au respect qui lui est dû. Le tonnerre & la foudre sont des Phénomènes aussi naturels, que la Neige & les Vents.

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

tantum iratum oforemque generis humani, cuius summa voluptas in nocendo sit posita, a quo tamen consilio suo maiorem partem aberrans mare & montes & tempora sua adeo feriat. Hinc timebunt eum, non amore erga eius beneficia adducti, sed metu potius furiosae irae impulsi. Praeter hunc seruilem, qui hinc oritur, metum erga Deum, venit etiam inde aliud intempestivum metus genus, quod multa quoque hominibus adfert incommoda. Vix orta est atra nubes, iam toti pauore perculsi anxie trepidant, & longe forte remotam tempestatem metus nimius fungit valde vicinam. Qua turbulenta occupati animi commotione, ad quaevis negotia redduntur inepti, quibus, si quieto fuissent animo, optimè tamen fungi poterant. Et quod maxime dolendum est, non possunt homines in pueritia hoc modo corrupti, a nimio hoc metu, licet omnia adhibeantur remedia, adultores liberari. Illi infelicissimi etiam iram Dei, quam docet coelestis sapientia, audent contemnere, postquam illo tempeslatum terriculamento s. μορμολυκέω fibi illusum esse sentiunt.

- 3) Huc etiam referenda sunt *terrictula*, quae circa ferias Christi natalitias ad coërcendos paruos adhiberi solent. Quam misere plurimi infantes eo tempore corrumputur! quantis nugis animus eorum impletur! Proponunt eis optimum Salvatorem tanquam *furem*, qui auferat, quae acceperunt dona, si se male gerant. Minantur eum, vel certe quendam illius velut lictorem venturum esse, qui terreat aut plagis afficiat paruos. Quin eo insaniae procedunt, ut quosdam homines Christi personam agere, puerisque admirationem ac terrorem incutere iubeant. Horrendum sane dictu, nondum factu! detestabile crimen, in quod grauissima poena constituenda erat. Estne haec amabilis imago illius summorum hominum amatoris, illius diuini vadis generis humani, qua paruorum animus impleri debebat? Nonne potius ipse exse-

❧ o ❧

erabiles de eo propinantur errores, qui tam firmiter inhaerent, ut meliora licet edocti, aegre tamen possint imperare corruptae phantasiae?

b) si parui adducuntur ad vitia aliorum exploranda & perstringenda. Est hoc in quibusdam familiis in more positum, ut paruis ad explorandos aliorum naevos simili fere ratione vtantur, qua venatores canibus vestigatoribus ad indagandas feras subornant eos omnibus artificeis, quibus adhibitis vitia aliorum iuvestigare ac carpere possint. Iubent eos, ut omnes aliorum actiones morisque ideo tantum diligentissime obseruent, quo aliquid inueniant, quod perstringere possint. Hasce Satiras parentes audisimile excipiunt atque admirantur. Delectantur, si paruulus, quod faciat ad irrisione alterius, proferre potest, atque stulte putant, esse acumen ingenii, si paulo liberius aliis insultare possit. Verum enim vero deprauatur hac ratione nobilis illa curiositas. Parabitur puer habitus de aliis inique iudicandi ac loquendi. Hinc oriuntur calumniae ac sermones iniqui. Assuevit alios parui habere, & contra se meliorem ceteris putare, hinc contentus aliorum ac intolerabilis, qua inflantur superbia. Inter prima Naturae venit nunc

§. XXI.

III. Facilitas in credendo. Sunt parui natura propensi ad accipendum, quocunque ab adultis audiunt. Cerebrum illorum, hoc est habitans in eis accipendi rerum & verborum notiones facultas, cereae adhuc similis, assumit sine repugnantia notiones, quae ipsis proponuntur, easque, nisi graues causae in diuersum mutent, tuerit ad summam usque senectutem. Propinata illis nec falsa simpliciter opinio, adultos maiore, quam se ipsis, pollere scientia, praeclaram hic praefat utilitatem & suppeditat maxime idoneum discendi subsidium. Frustra laborandum esset circa institutionem, nisi facilitas, dictis sermonibusque aliorum assensum praebendi, diuinitus data esset paruis. Hac adiutrice propinari

pinari possunt, quae pulchri honestique nomine comprehenduntur. Animi tenelli, fraudis, quae circa sermonem versatur, adhuc imperiti, nullius sermonem in suspicionem vocant, ideoque statim eum pro vero assumunt. Solent alios ex sua simplicitate atque ingenuitate iudicare, hanc ob causam putant, sinceritatem esse omnium sermoni propriam. Animus notitia rerum nondum bene subactus non pollet facultate verum a falso distinguendi, ideo putat omnia esse vera, quae pro talibus sibi ponuntur. Haec vero *facilitas in credendo*

1) *nimiris incitatur, si credere coguntur, quae tamen demonstrari possunt, ut in Arithmeticis & Geometricis.* Rationem conformandam attentionemque exacuendam esse admodum mature in paruis, numeris atque lineis tractandis, non habere videatur dubium. Et multi praceptorum id quoque curant, ut pueri harum rerum non plane sint rudes; sed in eo peccatur, quod pueris non indicantur rationes, ex quibus aliquid efficitur, ita ut non aliter esse possit. Tractant nimirum hasce nobiles scientias non ut scientias, sed ut artificia, quae tantum mechanice addisci debeant, in quibus non requirendae sint rationes, ex quibus tanquam ex certo principio conclusiones verae elicantur, sed satis esse putant, si regulas suppedinent, modumque praescribant, quem in tractandis numeris & lineis sequantur pueri. Ceterum de demonstratione, quae tamen in hisce scientiis propriam habet sedem, plane non sunt solliciti. Ita redduntur in hisce rebus *nimiris creduli*, habent fidem Theorematibus, non evidentia argumentorum ducti, sed praeiudicio, quod appellant, Auctoritatis impulsu, quod uti in his, quibus tamen necessarium est doctrinae partibus, magnum nonnunquam peruestigandi veri sufflamen est, ita quoque hic maxime nocet, & quam longissime e scholis Mathematicis exulare debebat. Hoc enim modo non discunt pueri ipsi vires mentis intendere, cogitare, nexusque rerum ac aeruum probandi perspicere. Cum primum deinde eis, de-

monstrationibus Matheinaticis nondum subactis aliquid huius scientiae proponitur, deest ipsis coticula, qua ad explorandum verum vti poterant, caecoque ad assentiendum feruntur impetu, in primis si mirificum illud I. Q. E. D. in fine paragraporum videant, cuius velut vi magica veri naturam accipiat quicquid id est, cui tanquam cauda adiicitur.

2) reprimitur

a) in propinando Pyrrhonismo nascito eorum hominum, qui e. g. in Historia vel civili vel naturali nihil credere volunt, quod non intelligunt. Sunt quidam tam superbi, vt ex suo ingenii ac scientiae modulo, omnes, quaecunque ab aliis audiunt, res metiri velint; cum primum aliquod factum aut enentus memorabilis in aliorum sermone occurrit, quem ipsi nondum norunt, aut qui vires mentis eorum superat, vt non statim modum, quem dicunt, possibilitatis perspicere possint, simpliciter illum negare audent, eumque contradictionem immoluere contendunt praesentibus paruis, licet pro stabilienda sua sententia nullas rationes nisi ignorantiam adferre possint. Et si acciderit, vt parui quibusdam occasionibus ab hominibus fide maxime dignis singularia quaedam edocti domi narrauerint, omni student modo spiritu quadam repugnantiae commoti, horum hominum fidem reddere suspectam, paruosque, ne fidem habeant, admonent. Qui ita cum paruis agunt, reddunt eos in credendo admundū *difficiles*, clauduntque eis viam, qua multarum rerum notitiam sibi parare poterant;

b) in primis si hac ratione vtantur etiam *in negotio religionis*: Si iniungitur partis, nihil esse prius credendum, quam cuus ratio perspecta sit. Dicuntur esse scholae, vbi praecopores discipulis omnia in rebus etiam Theologicis demonstrare velint: bene, si demonstrare hic sit, recte vti illa propositione: Quicquid credere nos iubet Scriptura S. illud credendum est. Sed finistre, & magno cum periculo, si adiunctione suos, ne assensum sanctioris disciplinae dogmatibus praebant, nisi antea omnes ratio-

nes

nes eorum perspexerint. Hoc enim modo excludunt paruos a multorum religionis capitum notitia ac fide. Quot enim sunt, quorum ratio ne a sapientissimo quidem potest perspici? Et si parui tam diu expectare debent, donec hinc intempestive a praceptoribus excitato desiderio satisfiat, potius nunquam grauissima credent dogmata, quorum fide ipsa constat Christianorum religio. Optime nobis videntur illi se instituere, qui in tradendis religionis mysteriis non tam respiciant ad inquirendas rationes, quam ad dogmata ipsa, quae quantum fieri potest, distinete ac viuide ipsis librorum nostrorum verbis proponunt, & ita assuefaciunt eos, in hisce rebus fidem temporariam habere praceptoribus, dum ipsa vis verbi diuini, cum diligentia adulorum coniuncta, reliqua perficiat. Interim non postulant ab eis plenam libertatis eiurationem perpetuamque ingenii seruitutem, quatenus enim sentiunt, eos esse rationum perspiciendarum capaces, suppeditant eis quoque hinc inde argumenta, quibus historica eorum notitia reddatur solida atque firma.

3) depravatur consortio cum hominibus infimae atque imperiae plebis. Magno paruis est infortunio, si parentes eis concedunt, vt semper intersint fodalitati hominum humilis non modo conditionis, sed & animi, qui studiose hoc agunt nonnunquam, vt paruis aliquid persuadeant de suis flutitiis, ac in suam mentem atque opinionem eos traducant. Narrant eis de spectris omnisque generis superstitionis rebus magna eum assueratione. Parui natura valde curiosi, cum priuum tale quid audiunt, erigunt mentem atque aures, & aucupantur adeo singula dicentis verba. Ita inficitur vacua adhuc mens *superstitione*, peste quadam generis humani, quae si semel in teneros irrepit animos, vix ac ne vix quidem unquam exslirpari potest. Occupantur prauitate opinionum atque vano metu, quo correpti ad multa agenda redduntur insipi. Huc pertinent inter alia *Calendariorum predicationes*,



Fabulae vulgi, ludicra falsa, impia proverbia, quae omnia
a quibusdam habentur pro oraculis, adeo, ut omnes fere acti-
ones ad ea referant, acriterque pro iis propugnant. Quod
si igitur paruorum aures quotidie hisce stultiis personant,
easque ab ipsis Educatoribus maximi vident fieri, non possunt
non, cum valde inoueantur exemplis, eiusmodi res ludicas,
anilesque fabellas imbibere atque pro veris habere. Quam
difficile autem sit, hanc deprauatam credendi facilitatem cor-
rigere, veteresque, ut loquitur Persius, (*) *auias hominibus*
de pulmone reuellere, satis superque testatur experientia: re-
uelluntur vero interdum ita, ut ipsi, si fas est continuari al-
legoriam, pulmones, qui sunt quasi fundus veri, sequantur, ut
nihil credant, qui se plus nimio credidisse intelligunt. Por-
ro deprehendit in paruis

§. XXII.

IV. Facilitas in parendo. Non obstant hic nobis querelae,
a contumacia paruorum in exsequendis aliorum iussis, petitae.
Notandum est, nobis hic non esse rem cum iis, qui quacun-
que causa externa iam corrupti sunt; sed potius cum bene natis,
in quibus *Prima Naturae* adhuc seruata sunt integra. Deinde
oportet eos considerare in eiusmodi conditione, vbi non impe-
diuntur alia causa, aut alio impetu vehementiore, quo minus
morem gerere possint, & tunc eos ad obsequium plerumque
pronos deprehendemus. Omnia sunt adhuc in iis mollia, ideo-
que se nobis praebent eo tractabiliores. Comparari sic satis
commodè possunt cum teneris arbustulis, quae in hanc vel il-
lam partem faciliter admodum opera flecti se patiuntur. Sed haec
Facilitas ad parendum

I) nimis incitatur seruili tractatione. Nolunt quidam initia-
lenia-

*) vid. *Persius Sat. V. 92.*

Ienique, paruerum animos flectendi, remedia adhibere; stulta laborant opinione, hoc derogare sua grauitati, si precibus aut alia amica ratione aliquid a discipulis impetrare studeant. Ideoque nullis, nisi acerbissimis, eorum voluntatem coercendi, vtuntur remedii. Si iniungunt praeccepta, iram prae se ferunt. Praebent se tanquam tyranos, qui semper spirant minas, omniaque verberibus aliquis id genus violentis ingenuoque puero indignis modis a paruis obtinere student. Iam vero, ex seruili disciplina seruili animi conditio oriatur, necesse est. Parui perpetua hac seruili trahatione assueverunt timere, ne, nisi statim obsequantur, poena ipsis subeunda sit, hinc omnibus, quaecunque tandem sint, aliorum dictis, nullo adhibito discrimine, metu poenarum adducti, obsequium praestant, quae res opportunos admodum facit iuniores, vt in peccandi societatem ab scdaliibus ferocibus pertrahantur: viros autem factos, ne quid pro virtute, religione, patria audeant, debilitat.

2) reprimitur

a) *si educatores nimis sero de subactione voluntatis paruorum cogitant.* Regnat & hic praeconcepta opinio, quae multum damni infert educationi. Creditur scilicet multi parentum, liberos statim ab incububilis nullius plane capaces esse disciplinae, & ante tertium certe annum, emendationi eorum vel primam manum non esse admittendam. Hinc indulgent eis omnia, quaecunque tandem appetunt. Ne obiurgationibus quicquid petulantiam eorum coercendam esse statuunt, ne dum durioribus quibusdam remedii illud facere audent. Dicunt: *infantem nimis tenerum esse, neque intelligere, quid reprehensiones, multo minus quid plagae sibi velint.* Sed quam male eiusmodi parentes sibi suisque consulunt, qui non ambabus commodissimam arripiunt occasionem, mature voluntatem paruorum flectendi? Nonne hoc modo ipsis eam contra superiorum iussus dedita quasi opera obdurant? Ob id ipsum quia nondum



dum recte intelligunt, plenoque rationis usu gaudent, debent illa similiūm euentuum exspectatione, quae cum animalium omni generē nobis communis est, debent sensu doloris ad parendum adigi; ob id ipsum, quia omnia in paruis adhuc mollia sunt, poterant facilissime informari. Quis non rideret illum, qui tum deum arborem flectere vellet, si iam grandis crassaque esset facta? Ita quoque ridendi sunt, qui nimis sero, neque a primo statim anno, cum omnia tenera sunt, & figuram quamcunque facile accipiunt, paruorum suscipiunt curam. Redundunt enim eos durae cervicis, aperteque pertinaces esse docent. Alii exprimunt quidem tandem obsequium a suis, sed

b) non eo illos adducunt, vt statim parcent iussi. Cum primum vero parui sentiunt, sibi hac in re indulgeri, interponunt varii generis moras. Cunctantur quantum possunt, differuntque executionem imperii, vt, hoc modo iussis in obliuionem adductis, subducant se officio. Solent etiam antea in causam agendorum inquirere, quam imperata faciant. Si hoc iis aliquoties concessum, vel quaestionebus eorum ante executionem iussorum responsum est, non parere discent, sed semper, quod moneant contra accepta iusta, habebunt, responsatores, tergiueratores erunt, quod vitium autem educateorū debetur culpae. Contra qui volunt, vt puer olim aliis recte imperare possit, curant mature, vt recte, vt statim parere discat, nulloque ferunt modo, vt aliquid contra superiorum iussa excipiat, aut causis inquirendis diu immoretur. Dicunt ipsi potius: abi statim, & fac, quae tibi sunt iniuncta, deinde etiam cognosces causam. Denique etiam reprimitur illa *facilitas in parendo*

c) si obruantur parui nimiis iussis. Sunt interdum praecoptores hac in re plane intemperantes. Putant officio satisfecisse, si permultas leges & ediciones veluti promulgauerint paruis. Ceterum non cogitant, vtrum eorum vires exsequendis imperias sufficient, nec ne. Hinc sit, vt, cum, nimiis oneribus obrutis,

ruti, nullum plane exitum laborum finemque iussorum videant, animum desponeant parui. Paratur ipsis eo *stupor* quidam *sensus*, adeo, ut ea, quae eis iniunguntur, respiciant quasi non iniuncta, quae ad se nihil attineant. Et ita animum nunquam serio applicabunt, ut imperata faciant.

3) *deprauatur facilitas in parendo, si non arcentur ab iuuentutis corruptoribus*, quibus obsequi peccatum est. Eiusmodi malae notae homines omnem in eo collocant operam, ut pueros, integros scelerisque puros, scelestae vitae suae faciant socios. Excogitant omnes astutias, quibus eos in suas trahere possint partes. Et, quod maxime ad hunc locum pertinet, minis etiam non abstinent. Qui itaque non satis curae ac cautionis adhibent, vti condiscant ipso etiam vsu iuueniores, quibus parendum sit, quorum sint contemnenda, & fortiter recusanda imperia, efficiunt, ut illa naturalis ad parendum facilitas in omnis generis peccata exeat.

§. XXIII.

V. Obseruatur in paruis *Amor status sui atque conditionis*. Vehementer sibi placent, in quaunque tandem vitae conditione fuerint nati. Vtiusquisque eorum suam sortem putat esse omnibus partibus absolutam. Exserit se hoc *Primum Naturae* in primis, si ex diuersis parentibus nati conuenerunt, & inter se confabulantur: tunc vtiusquisque eorum suam praeterea aliis prae dicat praerogatiuam, ostendit, se vestibus, crepundiis, aliisque id genus rebus praestare caeteros. Laudat quisque parentes suos, dicitque, se habere optimum patrem, optimamque matrem. Quaeras ex paruo, parentibus valde mediocris sortis nato, vtrum suum patrem cum alio permutare velit? & statim habebis responsioneim, qua summo studio, suum sibi patrem multo cariorem esse reliquis, contendit. Non potest ferre, si quis statum suum verbis eleuare, aut in contemptum adducere

E

audet

audeat; sed potius eum, quantum fieri potest, tueri, ac ab omni vituperatione vindicare studet. Non temere inuenies puerum de sua forte querentem. Omnes omnino sunt potius hilares, atque ea, in qua viuunt, conditione contenti. Huic rei debetur, quod nec sordida opificia, nec ipsa mendicabulorum conditio, suis carent sectatoribus, nedum ut laboriosam nutritorum nostrorum gentem, rusticos, sui status poeniteat. Hic vero *Amor status sui*

i) nimis incitatur

a) ab his, qui aliquantum eminere in republica iure, vel iniuria sibi videntur, *vestibus nimis splendidis* & reliquo cultu, quo nimio amore sui inflantur. Hic nobis non est res cum iis parentibus, quorum dignitas postulat, ut etiam eorum liberi insigne ac praerogatiuam quandam in vestibus gerant, licet & hic interdum modus excedatur: sed potius cum iis, qui, nescio qua, stultitia ducti, paruis inculcant, vestibus tantum opus esse ad ostendendam quandam inter alios eminentiam, adeo, ut quo quis pulchrioribus induitus sit vestibus, eo magis inter aequales eluceat. Hinc eo vanitatis quidam prolabuntur, vt, et si forte ordini suo ac facultatibus illud aduersetur, totos paene inaurent. Iubent eos cristatos incedere. Alligant pueros gladiis. Et si parui splendido induiti sunt vestitu, non desinunt eorum cultum ac pulcritudinem admirari. Simulant, se plane huius ornatus adspectu obstupecere, laudibusque vanis: O quam formosam speciem! ad coelum usque eos extollunt. Sic docent eos *superbire*, aliasque praeter se, tali externo ornatu haud instructos, contemnere. Porro corrumptunt circa sensum pulcri, ideoque virtutem quibusdam ludibriis externis contineri putant, & contra nunquam vera merita aestimare, eisque praemium aut honores debitos persoluere discent. Idem *sui status amor nimis incitatur*

b) *Adulatione ministrantium.* Est hoc domesticis hominibus valde solempne, ut ad captandam paruorum benevolentiam,

ii

in qua praesidium suis peccatis querunt, eis immodice blandi-
antur. Tribuunt eis virtutes, quas non habent, & si quid bo-
ni in eis animaduertunt, exaggerant illud iusto niniis, immo-
dicisque eos hoc nomine extollunt laudibus. Insurrant eis mul-
ta de ordinis sui praestantia ac nobilitate, propter quam praefer-
rendi sint omnibus, maioreque honore afficiendi reliquis. Quin
omnes eorum defectus ac vitia quoquis modo eleuare, atque im-
minuere student. Efficiunt autem, haec dum agunt, aut non im-
pediunt educatores, vt nimiam de se, suaque virtute, & omni
adeo conditione concipient opinionem, id quod permultum ad
alendam prauam Philautiam confert, quae consensu omnium
non minus fons inexhaustus quarumvis, quibus mortales premun-
tur, misericordiarum vitiorumque potest dici, quam ordinata virtu-
tis & felicitatis mater atque custos est.

c) *quod excusantur corum peccata.* Si puer quaedam com-
misit, & ipse sentit, se propter ea reprehensione dignum esse,
student, quantum possunt, mali Educatores hunc salutarem do-
loris sensum expellere. Consolantur eos intempestive, promit-
tunt eis multa, aliaque stulte agunt, quo puerum, sibi ipsi pro-
pter peccatum iratum, secum reconcilient. Transferunt cul-
pam in animal quoddam. Puer, inquit, *non fecit, sed canis.* Quin minantur cani plagas, vel adeo eum fictum ob hoc
peccatum pulsant. Hac peruersissima consuetudine paruos assue-
fieri, vt sibi in pessima conditione, reprehensioneque digna pla-
ceant, quis est, qui non videat? Praeterea quoque manifesto
sic *mentiri* docentur, h. e. praesidium sibi comparare omnium
malorum facinorum, & spem impudentia procurandae im-
punitatis.

2) *reprimitur querula sortis accusatione f. μεμφίσεις.* Plus
ultra illud interdum intempestive illis occinitur. Audiunt
ipsas parentum querelas, in quas erumpere solent, si fui ae-
quals ad maius, suo, fortunae fastigium euehuntur. Pro-
fitentur, se digniores esse reliquis, qui talibus muneribus at-

que praerogatiis ornentur. Conqueruntur, bona fortunae valde inaequabiliter dispertiri, & ita sic satis aperte, se non sua contentos viuere sorte, declarant. Haec μημψιογία propagetur etiam ad paruos, illamque naturalem animi aequitatem expellat, necesse est, si eiusmodi querelis intersint, semper que eas audiant. Imitabuntur etiam hic exemplum maiorum. Ab hoc tempore non amplius suo statu contenti erunt; nam didicerunt ipsi multa desiderare, atque animo inquieto appetere, quibus se carere intelligunt.

3) depravatur amor status sui, ut etiam fordes ament, vel peccata & ignominiam. Vario hoc fieri solet modo, & polys sumis commemoratione eiusmodi occasionum facile superseedere. Attendenti ad vulgarem educandi modum occurrent hinc inde exempla parvorum, qui propter negligentiam incuriamque parentum fordinibus, squalori, aliisque id genus rebus turpibus, se dare permittuntur, quibus ita adsuecunt, ut in his iucunde habitare videantur. Sic etiam quotidiana consuetudo in fordinis impurisque moribus, v. g. furando ac defrattando versandi, tantum eorum conciliat amorem, ut sibi in ipsa infamia ac turpitudine valde placeant, tantum abest, ut ea cupiant liberari homines.

§. XXIV.

VI. Sequitur *Actionis amor*, quo ducti, non possunt nec ore, nec manibus, neque pedibus quiescere parui. Sunt semper aliqua re, quaecunque tandem sit, occupati. Quo melius nati atque erectioris ingenii sunt, eo agiliores eos esse videmus. Per totum fere diem vix claudunt os, efficiunt, quicquid in buccam venit, modo habeant, quod agant, quodue loquantur. Eadem *amori actionis* tribendum esse videtur, quod libenter volunt *Auctores* vel *opifices* fieri. Ideo plerumque magna trahuntur cupiditate aedificandi domunculas, ex chartis lusoriis, libriss, lignis-

gnisque, exstructas. Et si opus suum perfecerant, valde de eo exultare solent; & nemini suaserim, nisi in praesentissimum eorum odium incurrere velit, ut circulos eorum turbet, aut domunculas, magno studio exstructas, deiciat. Adeo enim illi irascuntur, ut vel grauissima, si possint, illatam sibi iniuriam vleisci velint, poena. Vel inde, amore actionis paruis natura esse insitum, fatis apparere videtur. Verum enim uero, ille non minus, quam reliqua, de quibus hic agimus,

1) *nimas incitatur ludis immodicis*, quibus indulgere illos patiuntur educatores. Nullus interdum adhibetur modus in iis concedendis, adeo, ut toti dies iis consumantur. Putant maximam fieri pueru iniuriam, & postulari, quod eius naturae repugnet, si prohibeatur, quo minus semper ludis se oblectet. Verum plane aliter se res habet. Non quidem negari potest, concedendos esse paruis ludos, sed tamen non sine modo quodam, atque circumspectione, scilicet mature ut intelligent, ad laborem se natos, recreationis ac praeiu*m* causa ludos sibi dari. Qui hoc non curant, paruisque nullo adhibito discrimine, ut nunquam non ludant, permittunt, efficiunt eos *animi leuissimi*, & ad quasuis res serio tractandas *ineptos*. *Nimas intentus ludis animus volat huc, volat illuc*, non potest confistere ad cogitandum, nec sustinere laborem, qui vel paullulum constantiae requirit.

2) *reprimitur peruersissima illa consuetudine*, quae in quibusdam regnat scholis, *cum quiescere simpliciter, tacere, nihilque cogitantes assidere*, iubentur parui, dum cum reliquis tractantur lectiones. Desituuntur sapienti instituendi ratione praceptoru quidam, aut nolunt sibi hunc sumere laborem, ut omnibus ac singulis discipulis simul aliquid negotii dent, sed potius quosdam illo plane vacare, aut iubent, aut certe patiuntur. *Quanta vero vis infertur illi amori actionis diuinitus dato*, & quidem tali in loco, vbi eo optime



ad addiscendas bonas litteras vti poterant, eumque merito quo-
uis modo alere debebant paeceptores? Cuinam tribuenda
est culpa, si parui fiant *languidi* atque *pigri*? Deinde *amor*
actionis quoque reprimitur, si nunquam, propter rem bene
gestam, honore quocunque afficiantur. Praeclarum omnino
negligere videntur bene educandi remedium, qui nullo pla-
ne adhibito discrimine, inter recte & secus acta, paruos vno
quasi tenore semper tractant. Oportet eos adsluefacere, vt,
quibus fruuntur beneficiis, ea quantum eius fieri potest, ad
recte acta referant. Afficiendi sunt paeemis, si non aliis,
certe quacunque verborum, vel vultus adeo ac frontis signifi-
catione, quoties praeclarum quiddam praefliterunt; qua-
re potenter moti ad repetendas bonas actiones invitantur.
Hoc si negligitur, facile efficitur in eis *humilis abiectusque*
animus, qui laborem suscipere non audeat. Reprimitur et-
iam *amor actionis, aemulationis defectu*. Frustra obiicitur,
ea exacerbari animos, magnasque inter pueros existere ini-
micitias. Tantum enim abest, vt illa, si rem recte instituas
& diligenter hominum, temporum, iussi aequique habeas
rationem, sit noxia, vt infinitas numero paeest utilitates,
& felicissimum, paruos reddendi laboris actionisque studio-
sos, suppeditet remedium. Est instar calcarium, quibus
admotis, vehementer ad suscipiendos labores, qui paene vi-
res eorum superare videntur, concitantur, quos autem labo-
res, intentis omnibus nervis ac viribus, feliciter solent vin-
cere. Contra, vbi hic potens ad agendum stimulus non ha-
bet locum, cunque tractantur inaequales ingenii & mori-
bus & factis aequaliter, valde impeditur ille naturalis actio-
nis amor, subeunte in illius locum *ignavia illa*, quae deinceps
supra §. X. commemoratae, cognata est.

3) deprauatur si pueri laudantur ob acta sat quidem viuide &
efficaciter, sed *iniuste*, vt hoc vtar, propter illatam iniuri-
am aut certe relatam, propter mendacium argutum, propter
inge-

ingeniosam fraudem. Solent interdum paruis in talibus factis significare gaudium, eos propterea extollere laudibus, iisque ingenii praestantiam gratulari. Sic puer, qui similes sumilium antecedentium caufarum euentus exspectat, successu prauarum actionum ad eas saepius repetendas allicitur, & ita breui temporis spatio pariet sibi infelicitatis ex odio dei atque hominum thesauros. Non minus depraauatur amor actionis, si obtentu παρεγγων tractentur περιεγγα. Non raro accidit, vt tempore atque venia abutantur, quam impetrare solent ab educatoribus ad facienda quaedam parerga, ex quibus aliquid saltem utilitatis, voluptatisque licitae ad eos redundare possit, tempusque consumant in rebus inutilibus, vnde non solum nihil commodi exspectari potest, sed etiam mali aliquantum timeri debet. Quod si educatores creduli sunt, neque diligenter inquirunt, vtrum horis subsecuinis, recreacionis eaufa datis, ex sua voluntate vi fuerint, nec ne? verba ipsis dant pueri, & abutuntur libertate ad ea agenda, quae cum superiorum consensu non facere debebant. Ad Prima Naturae referri debet

§. XXV.

VII. *Impetus ad voluptatis cuiusque fructum.* Qui hunc in dubium vocare vellet, illi ne ullam quidem tam paruis unquam intercessisse familiaritatem, dixerim. A teneris inde in fruendo cibo ac potu atque in omni eo, quod sensus suauiter afficit, in primis gulae ac savori aliquam creat voluptatem, summam ponere solent felicitatem. Quis nescit, eos vehementer amare dulciaria? Non possunt capi facilis, quam cupediarum largitionibus, quae tantam in eos habent viam, vt si etiam organis loquelae nondum vti possint, locum tamen, aut hominem, a quo eas acceperunt, manibus aut vultu designent, vehementerque earum appetitum significant. Porro sunt valde intenti occa-

❧

occasionibus, ludis ac iocis, qui sibi risum sensumque iucundum excitare possunt. Mirifice delectantur, si quis in eis, iactando in altum, suaves sensibus motus excitat. Tacemus reliqua, ad quae feruntur parui, voluptatis genera, quia inter omnes, vel paullulum ad paruorum naturam attentos, de iis sat superque constat. Hic impetus naturalis

i) nimis incitatur

a) *immoderatis ciborum deliciis*, quibus se ingurgitare permittuntur parui. Quae quidem consuetudo per rei naturam non tam inter eos, quibus angusta valde res est, deprehenditur, quam inter tales, qui, vnde admodum laute vivere possunt, habent. Vtriusque conditionis & beatae & mediocris paruos educantibus suadendum est, vt eis, tenui simplicique victu contentos esse, adsuefaciant, neque impetum ad voluptatis fructum nimis incitent. Ciborum appetitus plerumque sequitur eam virtus rationem, cui a pueris inde adsuevimus, sumusque hisce cibis contenti. Sed multi non vtuntur hac opportuna, assuefiendi gustum ac saporem paruorum cibis tenuibus, occasione, sed indulgent eis omnis generis exquisitissima fercula, vt scilicet mature percipient gustum, quem *Gallorum* imitatione appellant, *altum*. Putare videntur, cibos delicatos conducere fanatici, & contra victum tenuem abhorrire a tenera illa *soggy* parentum, nec decere se, tam duriter tamque viliter habere paruos. Sed videamus ad refellendam hanc praecognitam opinionem, quid dicat Vir summi iudicij *Lockius*, qui in libro *de Educatione* §. 13. ita praecipit: "As for his Diet, it ought to be very plain and simple; and if I might advise, Flesh should be forbear as long as he is in Coats, or at least till he is two or three years old. Et §. 20 dicit; Fruits also dried without Sugar I think very wholesome. But sweat meats of all kinds are to be avoided; which whether they do more harm to the Maker, or Eater, is not easie to tell.

b)

b) *proposito ciborum delectu.* Mensa beatiorum quorundam multis varijsque ciborum generibus instructa, datur interduum paruis, eligendi cibos, copia. Interrogantur: vtrum hoc, an illo vesci velint, cibo? Facile iudicatu est, puerum ex omnibus id esse electurum, quod omnium maxime linguam, ac palatum titillare putat. Sed quid hac, eligendi cibos, facta copia docent paruos? Nonne instillant eis aperte hoc perniciosum praeceptum: in cibo sumendo non opus est, vt rationem habeas depellendae falmis aut conseruandae sanitatis, sed haec tantum tua cura esto, vt tales tibi pares epulas delicatas, quae palato maximam creent voluptatem? Idem efficitur, si parentes praesentibus paruis loquuntur de exquisitissimi saporis cibis, ac potionibus eiusmodi verbis, quae indicant, se valde illis capi, summamque habere felicitatem, si talibus frui possint. Quibus imbutus sententiis puer, quo magis adolefecet, eo magis in liguritione faciet progressus, nihilque fere aliud, quam, quomodo corpus curare molliter, genioque indulgere velit, cogitabit. Hinc nullis parcer sumtibus ad comparandos sibi cibos delicatores, et si illorum pretium opes suas longe supereret, ratioque acceptorum & datorum valde impar sit, adeoque in magnum aes alienum incidat, ex quo dum viuit, fortasse non exire potest. Optabile sane esset, vt illa suauissima Cyri responsio, quam dedit Auo Astyagi, copiosis ac delicatis epulis gratificari puero volenti, paruis mature inculcaretur, & tanquam exemplum laudabilis continentiae proponeretur: scilicet in cibo sumendo respiciendam esse tantum satietatem, & quo simplicior via fit, ad hanc perueniendi, eo illam esse praestantiorem: Non opus esle multis ambagibus, per quas vagantes sursum & deorsum in multis patinis vix eo tandem perueniant, quo dudum delati sunt simpli ci victui adsueti. (*) Deinde non possumus non consuetudinis malae

*) Xenophon in Cyropaedia L. I. 3. Φένει τὸν Ασυάγην, ἐγ γὰς πολὺ σοι δοκεῖ καλάτων τόδε τὸ δεῖπνον εἶναι τοῦ ἐν

malae in paruorum morbis hic facere mentionem. Cum pri-
mum non belle est puero, prima statim, quam proponunt,
quaestio haec est: Quidnam, coreulum meum, tibi edere pla-
cet? quem tibi affери vis cibum? &, illo instinctu bono natu-
rae recusante, omnem tamen in eo collocant operam, ut nan-
ciscantur cibum tam iucundi saporis, qui fastidium, quod ipsa
tamen natura sub morbi initio, ad impediendos eius progressus
noxios, admodum sapienter efficere solet, vincat. Sed quan-
ta mala inde consequuntur! Non iam loquimur de morbo cor-
poris acuto. Verendum est, ne infans, tali occasione se posse
impune abuti, intelligens, saepius morbum simulet, ut praes-
ter otium a literis e blanditia parentum, ex delicatis cibis vo-
luptatem capiat. Denique huc pertinet etiam illa detestabilis
consuetudo, cum cibi commendantur paruis detrectantibus per inuidiam. Si non statim volunt sumere cibum propositum par-
ui, simulant, se aduocaturos esse felem, aut canem, qui, quae
sumere ipsi recusent, deuoret. Et, heus, inquiunt, catelle!
ades & comedete, ne hic inobediens aliquid accipiat! Interdum
eo procedit insania, ut cani fratrem pueri, seque ipsos adeo
substituant. Sic excitatus praeueniendi studio puer velle inci-
pit, quae noluerat: sic inferitur paruorum animis diabolicum
Inuidiae vitium; docentur enim aperte, non concedendum
esse, ut alter alicuius boni fiat particeps: studendum esse, quo-
vis modo impedire, quo minus illud consequatur, et si cum suo
adeo


Πέρσαις; τὸν δὲ Κῦρον πρὸς ταῦτα ἀποκρίναθαι λέ-
γεται, εὖχι, ὡς πάσῃ πε, ἀλλὰ πολὺ ἀπλεύσεις καὶ
ἐυθυτέρα παῖς ἥμιν ἢ ὁδός ἐσιν ἐπὶ τὸ ἐμπληθῆναι, ἢ
παῖς ὑμῖν· ἡμᾶς μὲν γὰρ σέργος καὶ πέρας εἰς τέτο
ἄγει· υμῖς δὲ, εἰς μὲν τὸ αὐτὸν ἥμιν σπένδετε· πολ-
λαῖς δὲ τίνας ἐλιγμοὺς ἀνω καὶ κατώ πλανάμενοι, μό-
λις ἀφικνέοτε, ὅποι ἡμῖς πάλαι ἤκομεν.

adeo hoc fiat incommodo. Habemusne tetricam *Inuidiae* imaginem, quam imprimunt in teneris animis stulti Educatores?

2) reprimitur salutaris impetus ad voluptatis fructum, si nullum plane lusus genus conceditur. Sunt quidam Educatores ita morosi, ut a paruis postulent, ut per omnia sapient atque graues sint. Hinc concedere nolunt, ut ludis aliquam dent operam, sed diligenter eos ab illis arcent. Cum primum puerile quiddam aut ridiculum, se praesentibus, fecerunt, omnia ad viuum refecant; & si aliquid inueniunt, quod derogat gravitati, sevare admodum eos puniunt. Sed ita sibi suisque pessime eos couulere, testatur experientia. Puer, qui natura vehementer amat lusum, quam diu sub educatoris oculis versatur, coercet quidem, quantum potest, hunc impetum, & abstinet a lusu, metu poenarum coactus; cum primum vero ex carcere liberatus, sibi soli relinquitur, abutitur plane libertate, instar animalis lascivientis ante inclusi, sed repente vinculis soluti, omnisque generis petulantiam exercet. Inde origo *Simulationis* paruorum in praesentia educatorum, *Licentiaeque* extra eorum societatem petenda est. Dum igitur hic impetus ad voluptatis cuiusque fructum incaute reprimitur, instar fluminis aggere retenti vel coerciti incitat

§. XXVI.

VIII. *Societatis Desiderium* deprehenditur in paruis. Omnibus hominibus instinctum, in societate viuendi, innatum esse, extra omnem dubitationis aleam videtur esse constitutum, cui non repugnat, si qui Fanatico quodam aut, nescio quo, alio furore correpti, deserta ac solitudines petunt. Pone hominem in omni rerum abundantia viuentem, nisi habeat, cui de statu felici narrare possit, mox eum capiet eiusmodi conditionis satietas,



tas, & vel dimidia contentus erit bonorum parte, si modo inter homines alios viuendi, atque cuniiisagendi sibi detine copia. Eodem Societatis desiderio teneri iam paruos videmus. Gaudient atque exsultant, si eis, interesse societati aequalium colluforumque, permittas, vbi aperte se prodit naturalis ille, cum aliis viuendi, instinctus. Agunt secum inuicem plerique comiter ac blande, colloquuntur, collidunt & id genus alias inter se institunt exercitationes, a quibus extra societatem constitutae coguntur abstinere. Quin interdum vix possunt plagis coerceri, ut naturali illi impetui renuntiant, domique maneant soli. Quod Societatis desiderium ab educatoribus

1) nimis incitatur, si, quotidie totos dies in aequalium societate consumere, iis conceditur. Hac quotidiana, cum aliis verlandi, consuetudine, contrahitor ipsis negligentia in curandis suis officiis, lectionibus, scriptioribus, his denique, ad quae solitudine ac cogitatione, applicatione & aduersione animi opus est. Vniuersim non possunt ferre solitudinem h. e. se ipsis, quod maximum impedimentum in suscipiendo perficiendoque labore, maximum ad mala consortia, ad levitatem animi, ad vanitatem inuitamentum esse solet. Queruntur de tempore, quod sibi nimis longum esse videatur. Ideo quaerunt societates, quaecunque tandem sint, otii consumendi, temporisque fallendi causa, h. e. rei omnium pretiosissimae, & nunquam recuperabilis, suo & aliorum cum malo dispenddae: ne quid de rei familiaris damnis dicamus, quae in adultis quotidianae congressiones, sodalitates, salutationes pariunt.

2) reprimitur bonus Societatis amor, si semper domi manere omnisque consuetudinis & congressioni honestae expertes esse, coguntur. Persuadent interdum sibi parentes, non decere paruos, interesse sodalitatibus, quod nesciant verba honoris proferre, rectum corporis statum tenere, reliquaque officiosam urbanitatem ignorent, quibus omnibus in salutationibus

nibus

nibus opus sit. Sed ob id ipsum, quia nondum cum aliis eleganter versari sciunt, debent in honestas sodalites introduci, ut nanciscantur occasionem discendi, quo modo se recte gerere debeant. Alii nolunt ideo paruos, si alios salutatum eunt, secum ducere, ut ipsi eo liberiores in dictis ac factis esse possint, in quibus parui praesentes forte offendarentur. Honesta haec tenus oratio: sed optabilius erat, ut Iuuenalis pracepto, *Peccatus obstat filius infans.* Quaecunque huius rei causa sit, reprimitur illud Societatis desiderium in paruis, si ab omni sodalitate excludantur. Hinc enim sunt morosi, non discunt se ad alterius voluntatem accommodare. Fiant nimis timidi, non possunt constanti vultu alios intueri, quo vitio facile in suspicionem vitiosae *desiles* a mala conscientia possunt incidere. Deslituuntur moribus ingenuis, impediuntur, quod est in mulierularum quarundam proverbio, suis ipsis manibus, (*ils sont embarrassés de ses mains*) vox haeret, si coram aliis loqui debent, vel singultim, ut de se *Horattus*, pauca loquuntur. Totus cultus, vultus, gestus habitusque corporis rusticam & seruilem prae se fert insolem. Haec nondum sunt peccata, fateor, sed degenerant, nisi occurratur, in duritiem quandam & agrestem asperitatem, qua peccari in societatem grauter posse, nullum est dubium.

3) depravatur. Accidere audimus interdum, ut, vbi vtriusque sexus parui salutatum conuenerunt, Educatores paruis auctores sint, ut se inuicem complectantur, atque osculen-
tur. Iubetur puer, puellam omnium pulcherrimam sibi eli-
gere, eamque Amasiam deliciasque suas nominare. Et vi-
ce conuersa puellae tribuitur amator, cui vt placere studeat,
admonetur. Hoc pacto mature rei amatoriae operam dare
iubentur parui. (*) Expellunt educatores pudorem illum,
quem

*) videatur Mr. Croufaz de l' Education des Enfans T. II. Sect.
F-3 V.



quem sapientissime natura utrius sexui, ratione alterius trahit. Aetate paululum crescente, quid eo effecerint educatores, apparet. Mirabimurne, si illae stulti amoris scintillae, a teneris inde excitatae, in maximas proruimpant flamas, eisque adolescentibus insuperabiles fere obiciant difficultates, quo minus mente serio attenteque in rebus maioris momenti locare possint? Amores stulti adeo infixi sunt animo, ut ab iis semper agitentur, neque consistere possint. Nullum decorum tam sanctum, nullum tempus tam pretiosum, neque ipsa denique sanitas tam cara est, quin ea omnia pro restinguendo amoris turpis incendio deuoueant Cupidinis telis icti. Quanta istiusmodi hominum miseria, in quam occaecati rurunt! Huius porro rei causam in primis quasi Educationis licet saepe inesse, quis neget?

§. XXVII.

IX. Obseruamus in paruis *Misericordiam*. Sunt natura ad hoc propensi parui, ut miseris afflictisque auxilio esse velint. Sentimus in iis, quando in tristia incident spectacula, vehementes animi commotiones, quae dolorem ac tristitiam, quibus aliorum infortunii causa afficiuntur, indicant. Ita si interfunt occasionibus, vbi aliis, in primis suis aequalibus, subeundae sunt poenae, aut plagae, magno eos confici angore ac ingemiscere videmus. Omnibus interdum trement membris, eisque sudor copiosaeque excutiuntur lacrimae. Eodem fere se gerunt modo, si in viuida quadam miseriarum alterius representatione versantur, si ope sermonis & vultus, aliisque corporis signis ad-

mo-

V. p. 159. On dispose les Enfans aux foiblesses de l' amour, quand on leur parle déjà de Maitresse dans leur Enfance; qu'on se fait un plaisir de les voir entrer dans quelque inclination, et de dire ce qu'on appelle de jolies choses.

mouendum idoneis, in praesentem quasi tristem ducuntur sce-
nam; tunc enim oīnnia in iis horrida, muta, tristitiaeque ple-
na esse animaduertimus. In quibusdam haec naturalis commis-
seratio tanta est, vt ne maētationem quidem animalium, quae
tamen usui hominum inferuire sciunt, ferre ac videre possint,
sed potius vehementer edant plorationem, & in summo, pro-
pter hanc sanguinis effusionem, versentur angore. Quis in his
ce paruorum actionibus non expressa misericordiae agnoscit ve-
stigia? Verum enim uero male illa reprimitur, si negliguntur occa-
siones, eis ostendendi miseros homines, & demonstrandi eorum
misericordiam. Item si beneficia, pauperibus eroganda, non per
paruos distribuantur. Videtur quidem haec res ab initio parui
esse momenti, sed memorabiles ab illa dependent effectus, qui
spectant ad misericordiam. Quomodo enim possunt moueri,
ac commiseratio illa naturalis ali, nisi obiecta misera oculis eo-
rum subiiciantur, quae eos, precibus atque lamentationibus,
suae misericordiae faciant certiores. Sed dolendum sane est,
rem, tam facilem factu, saepe negligi a parentibus, qui honori
suo & liberorum derogari putant, si beneficia pauperibus per
liberos distribuenda curent. Alii alio hac in re peccant modo,
studentque quasi suo exemplo paruos crudeles atque immisericordes
reddere. Si mendicus aliquis venit rogatum stipem,
irascuntur & maledicunt misero contumeliosissime, adeo, vt o-
mnem humanitatis sensum exuisse videantur. Utuntur paruis
ad repellendos a se conuictis contumeliosisque egenos. Nonne
hoc modo nobilis ille miseris succurrendi instinctus obtunditur
certe, nisi funditus ex animo tollitur? Quid autem dicamus de
more quorundam peruerso, a quibus consolandi causa simulatur
dolor, quem rideant parui? Nonne contrahitur ipsis non ea tan-
tum, quam Galli vocant indolentiam, qua sensus nullus ex alienis
malis ad eos peruenit: sed maius longe vitium inuidiae
parallelum, voluptas ex dolore alieno, quain uno verbo ἐπιχαρ-
γεναῖς appellat felix Graecia? Assuecant nimirum sensim,
tales



tales se in vero alterius dolore atque infortunio praebere, quales antea in ficto ac simulato. Huc illud etiam referendum est, si excitantur parui, ut rideant dolores animalium, vel ea ipsi vident adeo, petulanterque exagitent, ite m vt rideant, si quireradat, aut aliud quicquam ei acciderit, quod deformitatem quandam & qualemcumque risus materiem habeat. Hoc infecti èπιχορευτας vitio, sibi ex alterius infortunio capiunt voluptatem, &, vt hoc vtar, titillantur, si conatibus excidere hos, alios incidere in subitas calamitates, aliis inferri iniurias dannaque videant. Quod vitium, vtrum magis detestabile an deformis sit, vix dici potest. Venit nunc

§. XXVIII.

X. *Imitandi studium*, quod valde homini proprium esse, illumine eo ipsam adeo superare simianam, facile apparet. Eius primordia a primis vitae annis repeti possunt. Ibi enim paruos ridentibus arridere, flentibus afflere, minantibusque vicissim comminari videmus. Hac imitandi cupiditate & facultate discipline capaces sumus: hac discimus, quidquid discimus. Hoc imitandi studio ducti pueri eodem, quo alii, cibum capiunt in modo. Ita modus aliorum incendendi, qui eis quotidie ante oculos versatur, efficit, vt, cum primum corporis vires huic conatu sufficere sentiant, etiam periculum eundi faciant; & si res aliquoties male successerit, ac cum dolore quodam coniuncta fuerit, hic naturalis tamen ad imitandum impetus eos eo impellit, vt ne prius tentare desistant, quam sibi facultatem eundi parauerint. In primis etiam illud imitandi studium ex artificio, quo feliciter vntunt, qui dormire cupiunt puerum, appetret. Ipsi scilicet alumno suo praebent exemplum, illoque inspectante suos claudunt oculos. Puer hoc viso, permotusque exemplo, componit se eodem modo, & non malto post in *verum somnum* incidit. Quis potest, vbi ad haec & his similia atten-

attendit, dubitare de *naturali paruorum imitandi instinctu*, a quo prius aguntur, quam sentiunt, quique eos quasi cogit, vt ea probent assumantque, quae alii homines, recta utiliaque esse, arbitrantur? Hoc *imitandi studium*

I) incitatur iusto vehementius, cum permittitur illis, omnes vultus, sermones, gestus aliorum, praesertim prauos, imitari. Beati homines saepe paruos suos pro simiis habent, aut motionibus, qui geslus moresque aliorum ridiculos stultosque imitari, & eiusmodi personam agere debent, & quo accuratius stultorum agunt partes, eo magis merentur eorum plausum. Summis extolluntur laudibus propterea, quod tanta corporis habilitate praediti, omnia, quae viderunt in aliis, ridicula potuerint exprimere. Verum enim uero quam maxime corrumpuntur parui hac peruersa imitatione: stultos aliorum gestus ad suos sensim transferunt, & quasi adoptant. Viuenda illa, qua praedita est tenera aetas, vis imaginandi, cum corporis agilitate coniuncta, gestus prauos, quos aliquoties imitati sunt, eis plane insinuat, atque in alteram quasi conuertit naturam. (*) Et nouimus sane exemplum hominis, qui iusto studio, sodalem emendandi, ductus, aliquoties eius vultum imitatus est, quo alter, si vide-ret, quam deformis in aliis sit, ipse ab eo abhorret, sed cerebra imitatione ita adsuevit vultui foedo, vt nunquam ab illo

**) Mr. Fenelon de l' Education des Filles, Chapitre IV. ita prae-cipit: Il faut aussi les empêcher de contrefaire les gens ridicules: car ces manières moqueuses et comedienne ont quelque chose de bas et de contraire aux sentimens honnêtes; il est à craindre que les enfans ne les prennent, parceque la chaleur de leur imagination et la souplesse de leur corps, jointe à leur enjouement, leur font aisément prendre toutes sortes de formes, pour représenter ce qu' ils voyent de ridicule.*



illo abstinere, eumque dediscere potuerit.

2) *deprauatur*

a) *omnibus actionibus dishonestis*, quas in maioribus vident parui. Quemadmodum sperari poterat merito, si fieri posset, vt parui nihil, nisi bona exempla virtutis, viderent, fore, vt & ipsi virtutis & pulcri amatores & imitatores reddantur, ita fatendum est, maiorem partem malorum, quibus mores & vita inquinantur, esse ab imitatione. Res nimis manifesta, quam vt exemplis, quae vltro omnibus se ingerunt, probari debeat.

b) *gloriationibus Educatorum de peccatis suac iuuentutis*. Mentionem iam fecimus huius peruersae consuetudinis ad §. XX. I. a. in quantum nimis incitat curiositatem naturalem parvorum; sed eius mali fructus tam late patent, vt hic repentina esse videatur, in quantum scilicet confert ad *depravationem studii imitandi*. Puer, qui non solum pronus est ad imitationem eorum, quae vidit, sed etiam eorum, quae audivit, iuuenit in illis parentum recitationibus, quas de peractis stulte annis iuuenilibus instituunt, multa, ex quibus dolum, fraudem atque nequitiam discere potest. Animaduertit, hisce nugis, modo semper nugae essent! magnam aliis creari voluptatem, excuti risum, quin admirationem solertiae; Solent enim imprudentes, huiusmodi gloriose stultiae suae praeconibus, propter astutas, id genus, fraudes multum laudis tribuere, casque valde admirari. Quam male autem huic naturali parvorum imitandi studio consulitur? Nonne, data quasi opera, ad omnis generis stultitias trahitur, quod, propositis imitatu dignis exemplis, ad optimas quasque virtutes applicari debebat? Nonne laudes, quibus indigne ornari audiunt pueri ineptiarum fraudumque autores, tales in eos vim habebunt, vt ipsi quoque periculum faciant? Profecto debebant parentes, salutis liberorum causa, ciurare, ac plane detestari stultam illam, peccata

cata iuuenilia praesentibus paruis narrandi, consuetudinem. Supereft, vt etiam aliquid dicainus

§. XXIX.

XI. De pari referendi studio. Magna inter hoc & illud, de quo modo diximus, Primum Nat. intercedit cognatio. Quia nimis omnia imitari student, ideo putant etiam, sibi licere ea agere, quae alii sibi fecerunt. Quemadmodum orani actioni respondet reactio, si lapis e. g. proicitur ad parietem, reflit cum motu inutuo; ita quoque comparatum est cum paruis. Vides eos alternis vicibus iterare actiones tuas. Pulta eos, pulsabunt te vicissim, nisi sensus obedientiae ac reuerentiae erga te in iis antea excitatus fuerit. Certe edunt signa cuiusdam renis contra mala sibi illata, quibus satis indicant, se velle naturali talionis iure vti, malaque eodem, quo acceperint, modo a se repellere. Habet hoc *Primum Naturae* maxime inter aequales locum, ibi enim eos statim ad pari referendum præmotos, paratosque inuenimus. Ab aliis irrisi, vicissim irrident; ab aliis vexati probris, & ipsi eis eadem inferunt; ab aliis pulsati, ipsi vicissim pulsant. Non autem in *Vindicta* solum hoc pari referendi studium apparet, sed etiam in *Amore*. Blan-dire paruo suauiter, & vicissim ambitiose se insinuabit, tibique blandietur; osculare ipsum, & te vicissim complectens oscularbitur. Ita se præbet quoque in reliquis amoris significationibus, in quibus veriari iucundum quidem, sed nimis longum foret. Hoc primum Nat. deprauatur ab Educatoribus satis mature

1) *stultis ludis*, quos cum paruulis interdum ioci causa institunt. Pulta me, mi filiole, inquiunt, & ego pulsabo vicissim alterum. Putant quidem Educatores, hoc magis iocoſe quam serio a se dici, manumque infantis multo esse imbecilliorē, quam vt damnum possit inferre. Verum enīnuero hoc ludō valde deprauari, paruorum animos, eosque, viribus abuti, doceri



ceri, contendit Excellentissimus Lockius, (*). Idem efficitur malum, si educatores eos tractant ut caniculas, quas per ludum & iocum irritamus: aut si, illata ab aliis leui iniuria, ipsis referire permittunt, quod deinde facere parui non intermittunt. Sic infigitur teneris animis amor vindictae, crescit, petulanter alios tractandi, audacia. Quid mirum, si cum paullulum adoleuerint, vel ipsis educatoribus vim inferant, eosque adeo, quod interdum accidit, non iam ioco, sed serio & probe depexos dent? Suntne eiusmodi educatores digni, quorum culpae euentum alii misereantur? Nonne ipsi in fontem sparserunt venena, ex quo deinde tam amara coguntur bibere?

- 2) Sunt & stultiora vindictae genera, quae paruis propinuantur, e. c. si pueri ceciderunt, eorum dolorem minuere, iratumque animum ita placare student Educatores, vt locum, in quo lapsi sunt, pulsare eos iubent, aut certe ipsis pulsant, eumque adeo conuiciis ridiculis impetant. Videntur sibi stulti homines hisce artificiis magnum obtainere commodum, si infantibus silentium sic persuadeant; sed non cogitant, se paruis, loco lacrimarum, multo peiora conciliare vitia. Praeter vindictae, quo incenduntur, amorem, pervertitur hinc plane etiam iudicium, fiuntque, quatenus eo placare student animum, similes canum, lapidem mordentium, quo percussi sunt. Docentur aperte, si quid sua commiserunt culpa, eam transferre in alios, & ita nolunt se vnuquam auctores fortunae

(*) *Lock of Education* §. 37. Before they can go, they principle them with Violence, Revenge and Cruelty. Give me a Blow that I may beat him, is a Lesson, which most Children every Day hear: And it is thought nothing, because their Hands have not strength enough to do any Mischief. But I ask, does not this corrupt their Minds? Is not this the way of Force and Violence, that they are set in?

nae suae agnoscere, in quo tamen verae sapientiae quoddam initium est, cuius neglectus facit, ut nunquam serio resipiscant.

§. XXX.

En Catalogum, quem texere voluimus peccatorum, quae maximam partem *Educatorum stultitiae* tribuenda esse videntur. Sunt sine dubio multa, quae ob angustos, quibus circumscripti sumus, limites, attingere non licuit; sed possunt forte ex his, quae commemorauimus, tanquam conjectaria deriuari, certe per illorum occasionem in mentem nostris venire lectoribus. Nunc sufficiant, quae a nobis in medium prolata sunt, ut intelligatur, quanta circumspectione opus sit ad suscipiendam ac bene gerendam paruorum educationem, qui prout tractantur, vel magna possunt fieri bona suorum, & reipublicae, vel magna mala, quae non se solum in maximam detrudant pernicieem, sed suos quoque, vel ciues, vel posteros adeo, reddant quam infelicissimos, in quos Horatiana (*) querela conueniat:

Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

(*) Horat. Carm. Libr. III. Od. VI.

E R R A T U M
p. 12. lin. vlt. lego *Voluptatis.*



VIRO

VIRO
CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE
SEBASTIANO CHRISTOPHORO
SCHWABIO
S. P. D.
CHRISTIAN. GVIL. FRANC. WALCHIVS. D.

Quamuis semper iucundum mihi acciderit, si amici de ingenii & doctrinae monumentis, quae in conspectum doctorum hominum produxerunt, gratulandi opportunitatem nactus essem; maiore tamen animi voluptate me adfici, sentio, quum idei officium **TIBI**, vir clarissime, praestandi, occasione vtor exoptata. Ex quo enim Ilenensem cum nostra musarum sede commutasti, tot luculentis signis ingenii **TVI** praestantiam & variae doctrinae, qua illud exornasti, copiam perspexi, vt quamplurima commoda de **TE** & patriae **TVAE** & rei sacrae ac scholasticae augurarer. Non solum quum recitationibus meis interesses, insignis **TVAE** diligentiae spectator fui; sed audiui etiam te, publice priuatimque de grauissimis

mis diuinæ humanaeque sapientiae partibus adcura-
te & diserte disputantem. Nec vanam fuisse spem,
quam egregia doctrinae & virtutis specimina in ani-
mo meo de TE excitarunt, abunde testatur doctissi-
mus libellus, quem in lucem emittis, confirmabitque
pugnae, quam ad eum defendendum suscipes, exi-
tus; faustissimum enim eum TIBIque honorificum
tore, non dubito. Iustum itaque habes caussam, de
futuris laudum tuarum accessionibus laetandi, omni-
busque, qui TIBI bene cupiunt, amplissimam ad-
fers gratulandi TIBI, rationem. Ego quidem in
gaudii TVI societatem venio, deumque pie precor,
velit, TE gratiae suae praefidiis semper frui, TIBI-
que, quae promisit, virtutis praemia tribuere. In
academia Georgia Augusta d. XX. iul. ann. christi-
an. cōlō cc lVIII.



Nosse homines cupiunt hominem, emendare recusant;
Vel sero aut numquam fit medicina malo.
Et tamen esse solet rara in medicamine virtus,
Quum semel infedit corpus & ossa lues.
Quae TE laus igitur manet, humanissime SCHWABI,
Nosse hominem puerum qui cupis, ut sit homo.
Sunt pueri dociles recti, prauique tenaces,
Talis erit, qualem iussuris esse, puer.
Esse malum natura sinit, bona mater; at altrix
Consuetudo sinit, vix sinit, esse bonum.

Gratulabundus adiecit
BENEDICTVS CHRISTIANVS AVENARIVS. Opp.
Semin. Philol. Socd.








Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn874377293/phys_0070](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn874377293/phys_0070)

DFG








Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011
Patch Reference numbers on UTT

um idoneis, in praesentem quasi tristem ducuntur sce-
ne enim omnia in iis horrida, muta, tristitiaque ple-
nimaduertimus. In quibusdam haec naturalis commi-
nta est, vt ne maestationem quidem animalium, quae
ui hominum inferire sciunt, ferre ac videre possint,
s vehementer edant plorationem, & in summo, pro-
sanguinis effusionem, versentur angore. Quis in his-
rum actionibus non expressa misericordiae agnoscit ve-
lerum enim uero male illa reprimitur, si negliguntur oc-
eis ostendendi miseros homines, & demonstrandi eorum
Item si beneficia, pauperibus eroganda, non per-
sistribuantur. Videtur quidem haec res ab initio parui-
enti, sed memorabiles ab illa dependent effectus, qui
ad misericordiam. Quomodo enim possunt moueri,
misericordia illa naturalis ali, nisi obiecta misera oculis eo-
licitantur, quae eos, precibus atque lamentationibus,
misericordiae faciant certiores. Sed dolendum sane est,
in facilem factu, saepe negligi a parentibus, qui honori
berorum derogari putant, si beneficia pauperibus per-
sistribuenda current. Alii alio hac in re peccant modo,
ue quasi suo exemplo paruos crudeles atque immiseri-
eddere. Si mendicus aliquis venit rogatum sipeim,
ur & maledicunt misero contumeliosissime, adeo, vt o-
mumanitatis sensum exuisse videantur. Utuntur paruis
lendos a se conuiciis contumeliisque egenos. Nonne
do nobilis ille miseris succurrenti instinctus obtunditur
tisi funditus ex animo tollitur? Quid autem dicamus de
torundam peruerso, a quibus consolandi causa simulatur
uem rideant parui? Nonne contrahitur ipsis non ea tan-
tam Galli vocant indolentiam, qua sensus nullus ex alienis
ad eos peruenit: sed maius longe vitium inuidiae
un, voluptas ex dolore alieno, quam uno verbo ἐπιχειρ-
y appellat felix Graecia? Assuecant nimirum sensum,
tales